Class PA2095
Book .P8

YUDIN COLLECTION

CHRESTOMATHIA LATINA

PRO DISCENTIBUS RHETORICAM IN SEMINARIIS

644
1083

Pertinet ad

IN DUAS PARTES DIGESTA.

I Librum

CURAVIT COLLEGII CHARKOVIENSIS RECTOR
THEOLOGIAE PROFESSOR PROTOPRESBY-
TER ANDREAS PROKOPOVI

CHARCOVIAE,
TYPIS ACADEMICIS.
1811.

PA2095
.P8

Imprimatur ita tamen, ut hujus Operis [illegible]
ante quam in publicam lucem emittatur, sc[illegible]
Collegio ad censendos libros instituto exhibean[illegible]
unum retinet istud Collegium, duo superior[illegible]
Instructionis Administrationi, duo Bibliothecae [illegible]
publicae, et unum demum Academiae Caesarcae [illegible]
tiarum, destinantur. Charcoviae, Junii 28 die 1811 [illegible]

Professor Christophorus Rommel.

104837
08
YUDIN

CHRESTOMATHIAE LATINAE

PARS PRIOR.

EXHIBENS:

I. Epistolas selectas cum artificio Rhetorico et collectaneis Epistlòlicis per locos topicos deductis.

II. Chrias ex Cicerone praecipue et Mureto excerptas cum adjectione imitationum manuducentium discipulos ad praxin Rhetorices.

I.

EPISTOLAE SELECTAE.

I.

MARCI TULLII CICERONIS ET ALIORUM.

I.

COMMENDATITIAE EPISTOLAE.

1. Lib. VI. Epistola IX.

Argumentum.

Commendatur A. Caecinna T. Furfanio, Procons. eum in finem, ut ejus in Sicilia, cum fortunis, salus defendatur.

Dispositio. 1. *Exordium*, institutae commendationis causas exponit, sumptas a parentis officiis; ipsius Caecinnae probitate,

eloquentia, studiorum communione, conjunctionis causis aliis. 2. *Propositio*, petitoria: sed oblique, et negando facta. 3. *Conclusio*, pollicitatione absolvitur.

Usus erit, cum amici salutem ac fortunas Magistratui commendare volumus.

M. T. Cicero T. Furfanio Procons. S. D.

1. Cum Avlo Caecinna tanta mihi familiaritas, consuetudoque semper fuit, ut nulla major esse possit. Nam et patre ejus claro homine, et forti viro, plurimum usi sumus, et hunc a puero, quod et spem magnam mihi afferebat summae probitatis, summaeque eloquentiae, et vivebat mecum conjunctissime, non solum officiis amicitiae; sed etiam studiis communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctius viverem. Nihil attinet me plura scribere: quam mihi necesse sit, ejus salutem, et fortunas, quibuscunque rebus possim, tueri, vides. 2. Reliquum est, ut cum cognorim pluribus rebus, quid tu, et de bonorum fortuna, et de Reipublicae calamitatibus sentires, nihil a te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte erga Caecinnam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intelligo. 3. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

2. Libri XIII. Epistola XVI.

Argumentum.

Commendatur Apollonius, P. Crassi Libertus, Caesari, bellum, contra Pompeii liberos, in Hispania gerenti: ut quia res ejus gestas literis mandare cupiebat, hoc officium Caesari sit gratum: ipse promoveatur.

Disposito. 1. *Exordium*, commendationis causas continet, a patroni P. Crassi persona, virtutibus atque studiis egregiis:

praestitis Ciceronis officiis: fide in Caesarem, Alexandrino in-bello declarata. 2. *Proposito*, quae petitionem, sed obliquam, negatione, eaque rationibus munita, confectam, complectitur. 3 *Confirmatio*, argumentis constans ex adjunctis: Apollonii doctrina: conversatione cum doctis: consilio atque instituto praeclaro: facultate, petitis. 4. *Conclusio*, praecisione, commendatione nova: grati atque memoris animi pollicitatione, absoluta.

Usus, cum adolescenti alicui, non tam commendatio ad principes danda, quam testimonium scribendum.

M. T. C. C. Caesari Impera. S. P. D.

1. Publium Crassum, ex omni nobilitate, adolescentem dilexi plurimum: et, ex eo cum ab ineunte ejus aetate bene speravissem, tum optime existimare coepi ex iis judiciis, quae de eo feceram, cognitis. Ejus libertum, Apollonium jam tum equidem, cum ille viveret, et magni faciebam, et probabam. Erat enim et studiosus Crassi, et ad ejus optima studia vehementer aptus. Itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi, eo mihi etiam dignior visus est, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem, quod eos a se observandos, et colendos putabat, quos ille dilexisset, et quibus carus fuisset. Itaque et ad me in Ciliciam venit; multisque in rebus mihi magno usui fuit et fides ejus, et prudentia: et, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum studio et fidelitate consequi potuit, non defuit. Quod cum speraret, te quoque ita aestimare, in Hispaniam ad te, maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me autore, est profectus. — 2. Cui ego commendationem non sum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione videbatur, qui in bello tecum fuisset, et propter memoriam Crassi de tuis unus esset: et si uti commendationibus vellet, etiam

per alios eum videbam id consequi posse. Testimonium meum de eo judicii, quod et ipse magni aestimabat, et ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. — 3. Doctum igitur hominem cognovi, et studiis optimis deditum, idque a puero. Nam domi meae cum Diodoto Stoico, homine, meo judicio, eruditissimo, multum a puero fuit. Nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas literis Graecis mandare cupiebat. Posse arbitror: valet ingenio: habet usum: jam pridem in eo genere studii, literarumque versatur: satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. — 4. Habes opinionis meae testimonium: sed tu hoc facilius multo, pro tua singulari prudentia, judicabis. Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit id majorem in modum gratum. Vale.

3. Lib. XI. Epistola XXII.

Argumentum.

Scribit ad D. Brutum Imp. Cicero, ut Appium Claudium sibi commendatum habeat: nec propter Antoniana castra, quae secutus ille fuerat, inter patriae hostes referri, exilioque mulctari patiatur.

Dispositio: 1. *Principium*, commendationis institutae causis constans. 2. *Propositio*, petitione facta. 3. *Confirmatio*, quae ejusdem argumenta habet, ab utilitate, et laude Bruti: causa defensionis Antonianarum partium honesta: Bruti auctoritate: persona Ap. Claudii petita. 4. *Conclusio*, petitionis renovatione atque repetitione absoluta.

Usus erit, cum commendandus, qui cum hostibus se conjunxit.

1. Cum Appio Claudio, Caji fil. summa mihi necessitudo est, multis ejus officiis et meis mutuis constituta. — 2. Peto

a te majorem in modum, vel humanitatis tuae; vel mea causa, ut eum auctoritate tua, quae plurimum valet, conservatum velis. — 3. Volo te, cum fortissimus vir: cognitus sis, etiam clementissimum existimari. Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. Cujus quidem causa hoc melior debet esse, quod pietate adductus propter patris restitutionem se cum Antonio conjunxit. Quare etsi minus veram causam habebis; tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus potest hominem, summo loco natum, summo ingenio, summa virtute, officiosissimum praeterea, et gravissimum, incolumem in civitate retinere. — 4. Quod ut facies, ita a te peto, ut majore studio, magisve ex animo petere non possim. Vale.

4. Libr. XIII. Epistola VI.

Argumentum.

Q. Valerio Procons. Cicero P. Cuspii omnes amicos: et vero maxime L. Julium commendat.

Dispositio: 1. *Exordium*, in quo Commendationis institutae causae: Q. Valerii pollicitatio, ponitur. 2. *Narratio*, in qua, et cur Africanos tueatur Cuspius, exponitur; et generalis ac specialis commendationis comparatio instituitur. 3. *Propositio*, quae petitionem modestam ac verecundam habet. 4. *Confirmatio*, ejusdem rationes, ab utili: persona L. Julii: testimonio ac judicio Cuspii petitas, continet. 5. *Conclusio*, grati, promptique animi pollicitatione absolvitur.

Usus, cum multos simul, nominatim vero unum maxime commendari cupimus.

1. Si vales, bene est, valeo. Credo te memoria tenere, me et coram P. Cuspio tecum locutum esse, cum te prosequerer paludatum: et idem postea pluribus verbis tecum egisse, ut quoscunque tibi ejus necessarios commendarem, haberes eos in

numero meorum necessariorum. Id tu pro tua summa erga me benevolentia, perpetuaque observantia mihi liberalissime, atque humanissime recepisti. 2. Cuspius, homo in omnes suos officiosissimus, mirifice quosdam homines ex ista provincia tuetur, et diligit; propterea quod fuit in Africa bis, cum maximis societatis negotiis praeesset. Itaque hoc ejus officium, quod adhibet erga illos, ego mea facultate, et gratia soleo, quantum possum, adjuvare. Quare Cuspianorum omnium commendationis causam hac tibi epistola exponendam putavi; reliquis epistolis tantum faciam, ut notam apponam eam, quae mihi tecum convenit, et simul significem de numero esse Cuspii amicorum. Sed hanc commendationem, quam his literis consignare volui, scito esse omnium gravissimam. Nam P. Cuspius singulari studio contendit a me, ut tibi quam diligentissime L. Julium commendarem. Ejus ego studio vix videor mihi satisfacere posse, si utar verbis iis, quibus, cum diligentissime quid agimus, uti solemus. Nova quaedam postulat: et putat, me ejus generis artificium quoddam tenere. Ei ego pollicitus sum, me ex intima nostra arte deprompturum mirificum genus commendationis. — 3. Id quando assequi non possum, tu re velim efficias, ut ille genere mearum literarum incredibili quiddam perfectum arbitretur. — 4. Id facies, si omne genus liberalitatis, quod et ab humanitate, et potestate tua proficisci poterit, non modo re, sed etiam verbis vultu denique expromseris: quae quantum in provincia valeant, vellem expertus esses. Sed tamen suspicor, ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia: non solum, quia mihi Cuspius dicit, credo: (tametsi id satis esse debeat) sed quia novi ejus judicium in hominibus et amicis diligendis. Harum literarum vis quanta fuerit, propediem judicabo; tibique ut confido, gratias agam. Ego, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrer, omnia studiose, diligenterque curabo. Cura ut valeas.

5. Libr. XIII. Epist. XVII.

Argumentum.

Servio Sulpicio, Achaiae Praefecto M. Curius negotiator commendatur.

Dispositio: 1. *Exordium*, expositionem continens causarum institutae commendationis, quae ab amicitiae vetustate: Curii promeritis: Attici familiaritate sumuntur. 2. *Propositio*, petitionis duplex, et conditione, ac copiose facta. 5. *Conclusio*, gemina pollicitatione a persona tum Curii, tum Ciceronis Constans.

Usus, cum Praefecto alicui mercatorem commendare volumus.

1. Marcus Curius, qui Patris negotiatur, multis, et magnis de causis a me diligitur. Nam et amicitia pervetus mihi cum eo est, ut primum in forum veni instituta: et Patris, cum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello, domus ejus tota mihi patuit: qua, si opus fuisset, tam essem usus, quam mea. Maximum autem mihi vinculum cum eo est, quasi sanctioris cujusdam necessitudinis, quod est Attici nostri familiarissimus, eumque unum praeter coeteros observat, ac diligit. — 2 Quem si tu jam forte cognosti, puto me hoc, quod facio, facere serius. Ea est enim humanitate, et observantia, ut eum tibi jam per se ipsum commendatum putem. Quod tamen si ita est, magnopere a te quaeso, ut ad eam voluntatem, si quam in illum ante has meas literas contulisti, quam maximus post mea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam suam minus se tibi obtulit, aut nondum eum satis habes cognitum; aut quae causa est, cur majoris commendationis indigeat: sic tibi eum commendo, ut neque majore studio quemquam, neque justioribus de causis commendare possim. 3. Faciamque id, quod debent facere ii, qui religiose, et sine am-

bitione commendant. Spondebo enim tibi, vel potius spondeo, in meque recipio, eos esse M. Curii mores, eamque tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut cum et amicitia tua, et tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. Mihi certe gratissimum feceris, si intellexero, has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. Vale.

6. Ex Mureto Libr. I. Epist. XI.

Argumentum.

Adolescentem maximae Spei, ut benigne suscipiat, enixe petit.

M. Antonius Muretus.
Paulo Manutio S.

Heri ad te scripsissem, sed volui gratificari Lazaro Mocenico adolescenti optimo, ingeniosissimo, studiosissimo: quod et ipse incensus erat cupiditate cognoscendi tui, et enim ego cupiebam a te cognosci, de quo me tam saepe praedicantem audiisses. Hic enim est unus propemodum, de quo ego mihi omnia summa polliceri audeo: neque metuo, ne spes fallat. Quaeso te, Complectere eum mea causa quam poteris humanissime: dignus est enim omni benevolentia atque amore. Ingenium summum, industria mirifica, mores optimi atque incorruptissimi. Denique quicquid dici de illa aetate honorifice potest, id me de eo dixisse, et merito dixisse tibi persuadeto. Accipies ab eo, quod superest Tibulli, et scholia mea in primum librum, dequibus cupio audire judicium tuum. Quid est, quod hodie ad me Molius scripsit, mira quaedam esse, quae tu mihi, cum istuc venissem, dicturus esses? Si me amas,

quicquid est, scribe. Ego enim, nisi quid aliud acciderit, nondum me istuc venturum puto. Vale.

15. kalend. Junii. Patavio.

7. Ex Eodem Libr. I. Epist. XIX.

Argumentum.

Peregrinantibus studiorum causa, ut familiare alloquium praestet, rogat.

Muretus Manutio S.

Adolescentes, qui ad te has literas perferent, si genus requiris, nobilissimo ac splendidissimo inter suos orti sunt loco: si bona animi, et studia laudandarum artium spectas, conjecturam facere vel ex eo potes, quod, cum ipsis domi in summis deliciis et in maxima rerum omnium affluentia vivere liceret, longinquas peregrinationes suscipere, seseque excolendi ingenii causa infinitis difficultatibus obiicere maluerunt. Ji cum judicarent idem, quod omnes, qui recte sentiunt, judicant, ingenii et eloquentiae gloria Italiam coeteris nationibus; in statu autem longe unum coeteris omnibus Paulum Manutium antecellere, neque se studio suo satisfacere posse arbitrati sunt, nisi in Italiam venirent: neque cum in Italiam venissent, nisi Pauli Manutii aspectu et collocutione fruerentur. Quod autem de scriptis, utriusque nostrum intellexerant, quanta inter nos voluntatum ac studiorum conjunctio esset; statuerunt se id, quod cuperent, nullo modo melius, quam per me, consequi posse, mecumque egerunt, ut eos tibi quam diligentissime commendarem. Ita igitur facio, petoque a te, ut si ulla unquam apud te mea commendatio valuit, quod scio valuisse quam plurimas, huic plus etiam, quam coeteris tribuendum putes: adiiciasque

ad illam humanitatem, qua omnes excipere solitus es, quidquid, rogante atque obsecrante me, adiici potest. Vale. Postridie Non. Septemb. Patavio.

RESPONSORIAE AD COMMENDATITIAS.

8. Ex Cicerone Lib. V. Epist. XI.

Argumentum.

Respondet commendatitiis Vatinii Imper. literis Cicero, et curae sibi, cordique Pompeii uxoris fore res pollicetur.

Dispositio. 1. *Principium*, laude animi grati atque memoris Vatinii: pollicitatione studii ac voluntatis promptae constans. 2. *Narratio*, quae expositionem jam praestitorum, et promissionem largam continet. 3. *Conclusio*, petitionem de Dionysio servo, et imprecationem habens.

Usus. Cum commendationibus respondendum: commendatis promittendum auxilium est.

1. Grata tibi mea esse officia, non miror: cognovi enim te gratissimum omnium; idque nunquam destiti praedicare: nec enim tu mihi habuisti modo gratiam, verum etiam cumulatissime retulisti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga te, et eadem voluntate cognosces. 2. Quod mihi foeminam primariam, Pompejam, uxorem tuam, commendas; cum Sura nostro statim, tuis literis lectis, locutus sum, ut ei meis verbis diceret; ut, quicquid opus esset, mihi denunciaret: me omnia quae ea vellet, summo studio, curaque facturum; itaque faciam: eamque si opus esse videbitur, ipse conveniam. Tu tamen ei velim scribas, ut nullam rem, neque tam magnam, neque tam parvam putet, quae mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia, quae in tuis rebus agam, et non laboriosa mihi, et honesta videbuntur. 3. De

Dionysio, si me amas, confice. Quamcunque ei fidem dederis, praestabo. Si vero improbus fuerit, ut est, duces eum captivum in triumpho. Dalmatis Dii malefaciant, qui tibi molesti sunt! Sed ut scribis, brevi capientur, et illustrabunt res tuas gestas: semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

9. Lib. II. Epist. XX.

Juvenem egregium sibi commendatum gaudet.

Paul. Manut.

Volfgangum, cum aliquot abhinc annis Patavii adolescens daret operam Bonamico, dilexi multis nominibus plurimum: nam, ut omittam, quod et in adspectu species quaedam index nobilitatis, et in sermone, atque in moribus probitas elucebat; incensus literarum studio colebat me, atque observabat diligentissime; sic, ut in magna frequentia amicorum nemo tamen mihi esset illo carior, nemo jucundior. Tueor illum amorem, et, quoad vivam, tuebor, eique absenti memoriam, benevolentiamque, quam debeo, fratribus praesentibus officia, quae potero; accurate praestabo. Hoc mea sponte facturus essem, quantum, mihi accessisse voluntatis existimas, quod eos tu, vir inter maximos summus, et in exercenda virtute semper occupatus, commendandos mihi tuis literis putasti? Nam, si quis est, qui de tuo ingenio, de doctrina, inprimisque de eloquentia bene et sentiat, et loquatur; is ego sum, planeque meos eo sensus libenter conferam, ut, qui tibi cari sunt, eosdem ego quoque diligam. Quare, sivis, da mihi ornandos, atque amandos, qui ad nos veniunt, amicos tuos; officiis eos, si potero, sin minus, studio certe, et humanitate complectar: ac ne dubita futurum, ut, quo tu sis apud me pondere, cum intellexerint, eratias tibi, quod eos tua commendatione sis prosecutus, diligenter agant. Audio te quiddam pangere in rhetoricos Ari-

stotelis libros: quod, quale expecto, auguror futurum, praeclarum scilicet, ac te dignum; urge igitur; ut et communi utilitati, et tuae gloriae consulas. Vale.

Accedunt Collectanea Epistolica hujus generis per omnes Epistolae partes in certos locos topicos digesta.

A. *Exordium.* 1) Desumptum a personae commendatione, quia familiaris et amicus noster.

Cicero Lib. I. Ep. 3. Avlo Trebonio, qui in tua provincia magna negotia, et ampla, et expedita habet, multos annos utor familiariter. Is etc.

Idem Lib. XI. Ep. 22. Supra commemorata.

Idem Lib. XIII. Ep. 17. Supra commemorata.

Plin. Lib. X. Ep. 95. Svetonium Tranquillum, probissimum, honestissimum, eruditissimum virum, et mores ejus secutus et studia, jampridem in contubernium assumpsi: tantoque magis diligere coepi, quanto hunc propius inspexi. Prop.

2) A pietate, doctrina atque virtutibus personae.

Cic. Lib. II. Ep. XIV. M. Fabio, viro optimo, et homine doctissimo, familiarissime utor, mirificeque eum diligo, cum propter summum ingenium ejus, summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. (Propos.) Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea.

Idem Lib. XII. Ep. XXVII. Sextus Aufidius et observantia, qua me colit, accedit ad proximos; et splendore Equiti R. nemini cedit. Est autem temperatis modestisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia etc.

Plinius Lib. III. Ep. II. Arrianus Maturius Altinatium est princeps: quum dico Princeps, non de facultatibus loquor, quae

illi large supersunt, sed de castitate, justitia, gravitate, prudentia. Hujus ego etc.

3) A parentibus.

Cic. Lib. VI. Ep. IX. Supra commemorata.

Plin. Lib. II. Ep. IX. Pater N. Evritius vir sanctus, antiquus, disertus atque in agendis causis exercitatus, quas summa fide atque constantia, nec verecundia minore defendit. Habet avunculum. C. Septitium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. Omnes me certatim, et tamen aequaliter amant: omnibus nunc ego in uno referre gratiam possum.

4) Ab officiis et meritis.

Cic. Lib. XIII. Ep. IV. Cum Volateranis mihi summa necessitudo est, magno enim meo beneficio affecti cumulatissime mihi gratiam retulerunt; nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt.

Idem Lib. XIII. Ep. XIX. Cum Lysone Patrensi tanta mihi familiaritas, quanta nullo cum hospite, et ea cum officiis ejus multis, tum etiam consvetudine quotidiana, sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra conjunctius: is (Narratio.)

5) A Patroni facilitate et benignitate juvandi.

Plin. Lib. II. Ep. XIII. Et tu occasionem obligandi avidissime amplecteris, et ego nemini libentius debeo.

Schurtzfleisch. Ep. CLII. Benevolentia tua, et amor singularis erga bonas literas ubique celebrantur; nec modestia tua sinit, ut, quae de te sentimus, et loquimur praeclare, ea omnia nunc scribam; sic tamen tibi velim persvadeas, hanc tuam laudem, fiduciam petendi facere, ut eximio juveni subvenias.

6) A persona Patroni, et nostra cum eo amicitia.

Buchner. Ep. LXXIII. Discessurus in Academiam vestram praestantissimus juvenis N. filius N. petiit a me, ut tibi se

vellem commendare Enimvero, cum minime ignoraret, qua esses apud omnes autoritate, quam tibi ingenii, eruditionis, doctrinae et humanitatis laudem comparaveris, id dandum praecipue sibi operae statuit, ut benevolentiam tuam sibi conciliaret, ratus non posse sibi aditum non patere ad ceteros, quos Academia atque urbs vestra egregios, summosque viros habet. simul ab te probatus esset. *Propos.* Facile dedi hanc veniam, cujus pater non modo amicissimus nobis esset, sed ipse quoque. etc.

7) A promissis Patroni.

Cic. Lib. XIII. Ep. VI. Supra commemorata.

Idem Ep. IX. Quanquam tibi praesens commendavi, ut potui diligentissime, socios Bithyniae, teque cum mea commendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscunque rebus posses commodare: tamen cum ii, quorum res agitur, magni sua interesse arbitrarentur, me etiam per literas declarare tibi, qua essem erga ipsos voluntate, non dubitavi haec ad te scribere. etc.

8) Aut abrupta commendatione.

Cic. Lib. XIII. Ep. XXXVII. Hippiam, Philoxeni filium, hospitem et necessarium meum, tibi commendo majorem in modum.

9) Aut gratiarum actione, cum conjuncta petitione et commendatione.

Plin. Lib. X. Ep. XXII. Ago gratias, domine, quod et jus Quiritium libertis necessariae mihi feminae, sine mora indulsisti. Sed cum etc. rogo, ut tribuas ei et Romanam civitatem.

10) Aut occupatione, aut excusatione, qua impudentiae suspicionem declinamus.

Plin. Lib. X. Ep. III. Indulgentia tua Imperator optime, quam plenissimam experior, hortatur me, ut audeam tibi etiam pro amicis obligari; inter quos sibi vel praecipuum locum vindicat Voconius Romanus, ab ineunte aetate condiscipulus et contubernalis.

Idem X. Ep. VII. Scio, domine, memoriae tuae, quae est bene faciendi tenacissima, preces nostras inhaerere: quia tamen in hoc quoque saepe indulsisti, admoneo simul et rogo.

Idem Lib. X. Ep. CV. Etsi vereor ne sit immodicum, toties invocare benignitatem tuam, qua debeo tanto modestius uti, quanto pleniorem experior: tamen non potui deesse etc.

Buchn. Ep. XXVII. Quanquam non opus videatur, ut Ravium tibi commendem, quem sua virtus satis amabilem et dignum clarissimorum virorum favore ac studio fecit; tamen etc.

B. *Narratio sev Antecedens*, qua paucis exponitur res, negotium, cur commendatio instituatur.

Cic. Lib. XIII. Ep. VI. Supra commemorata. n. 2.

Buchn. Ep. XXVII. Is, cum summopere cuperet innotescere tibi, ut consilio tuo in studiis uti posset; non potui facere, quin has ad te literas darem.

Item. Non solum a me petiit, sed flagitavit etiam, ut meis literis aditum sibi ad tuam amicitiam aperirem, quod ei denegare non potui.

C. *Propositio, sev consequens* cum petitione.

Cic. Lib. II. Ep. VI. Non dubitavi id a te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeque necessarium. Neque enim sum veritus etc.

Idem Lib. VIII. Ep. IX. Bonum et strenuum adolescentem, qui ad suum negotium istuc venit, tibi commendo, et te rogo, ut eum in numero tuorum habeas.

Idem Lib. XIII. Ep. VI. Supra commemorata.

Plin. Lib. VI. Ep. VIII. Rogo ergo, exigo etiam pro jure amicitiae, cures ut Atilio meo salva sit non sors modo, sed etiam usura plurium annorum. Exime hunc illi, exime hunc mihi scrupulum.

Muret. Lib. III. Ep. XC. Peto igitur a te nontantum, ut ipse, quicquid potes studii, operae, officii, in eum libenter conferas; sed ut eum etiam meo nomine commendes diligentissime iis omnibus, quibus ipse commendari se volet.

Schurtzfl. Ep. CLII. Is per me interpretem orat, ut et salutem studiorum suorum, et fortunas tibi curae esse velis.

D. *Confirmationis argumenta cev Aetiologiae.*

1) Ab amicitia nostra.

Cic. Lib. II. Ep. XVI. Ita tueare, ut amicitia nostra et fides tua postulabit.

Idem Lib. XI. Ep. XVI. Hoc ego utor uno omnium plurimum, magna vetustas, magna consvetudo intercedit: quodque plurimum valet, nihil mihi ejus est familiaritate jucundius.

Item Ep. XXXI. Quapropter velim honoris mei causa, quibus rebus honeste, et pro tua dignitate poteris, quam honorificentissime, et quam liberalissime C. Flavium tractes: id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit.

2) A jucundo.

Cic. Lib. VII. Ep. VIII. Gratum est, si quam plurimum in eum studii, officii, liberalitatis tuae conferas.

3) Ab utili, et spe remunerandi.

Cic. Lib. XIII. Ep. IV. Illud vero dubitare non debes, quin tam grave, tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo beneficio summo in perpetuum obligari velis.

4) Ab honesto.

Cic. Lib. XI. Ep. XXII. Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum; cujus quidem causa hoc melior debet esse, quod pietate adductus, propter patris restitutionem, se cum Antonio conjunxit.

Plin. Lib. II. Ep. IX. Quae causa, si studium meum non incitaret, adjutum tamen cuperem juvenem probissimum, gravissimum, eruditissimum, omni denique laude dignissimum.

5) A facili.

Cic. Lib. XI. Ep. XVII. In ea re, quantum me possis adjuvare, facile perspicio: nec vero quantum mea causa velis, dubito.

Idem Lib. XIII. Ep. I. Nec dubito, quin a te nutu hoc consequi possit.

Schurzfl. Ep. CLII. Is tua unius auctoritate hoc assequi se posse confidit.

6) A necessario.

Buchn. Ep. LXXIX. Adjuva eum, ut tuo auxilio atque ope, si licet, necessitates, in quas conjectus est culpa temporum, evadat ac superet.

Schurzfl. Ep. CCCCIII. Usque eo conqueritur fortunam, atque tenues res, ut non habere affirmet, unde vitae subsidia in posterum constituat.

Idem Ep. CCCCVIII. Ejus opes, copiasque omnes nuper incendium absumsit: quare ad aulae patrocinium confugit, et precibus consequi studet, ut subsidia Principis constituantur.

7) A justo.

Plutarch. Apud bonos, et in bona causa, supervacua commendatio est, cum ipsa res impetrat, quod precibus exoratur.

Muret. Lib. I. Ep. XI. Quaeso te, complectere eum mea causa, quam poteris humanissime; dignus est enim omnium benevolentia et amore.

Idem Lib. I. Ep. LXVII. Te quoque aequum est mea causa aliquid facere. Majus autem facere nihil potes, quam si huic ostendas, meam commendationem aliquid apud te valere.

8) A meritis.

Cic. Lib, XIII. Ep. LXXVIII. Huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio, et munio; cognitum per te ipsum, quae tua natura est, dignum tua amicitia atque hospicio judicabis.

E. *Conclusio.* 1) Formula singulariter commendandi.

Cic. Lib. XII. Ep. XXVII. Quare tibi ejus negotia, quae sunt in Africa, ita commendata putabo, ut majori studio, magisve ex animo commendari non possint.

Cic. ad Quint. Fr. Lib. II. Ep. XIV. Fac, ut tua liberalitate eum tibi obliges, gratum hominem observantemque cognosces.

Muret Lib. I. Ep. XIX. Supra commemorata.

2) Animi grati promissione.

Cic. Lib. XIII. Ep. LI. Peto ate pro nostra, et pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejusque rem, famamque tueare. Virum bonum tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris, mihique gratissimum feceris.

Item Ep. LXXII. Pergratum mihi erit, si ita tractaveris, ut merito tuo mihi gratias agere posset.

Schurtzfleisch. Oro itaque te, Moecenas, per probitatem, quae in eo egregia est, et studii sacri, cui se addixit, amorem et venerationem, juves auctoritate tua N. efficiasque, ut non magis ille, quam ego collatum officium agnoscam.

Idem Ep. CCCXXXI. Quo facies, ut ille tuus cliens perpetuus, ego tanti beneficii praedicator sim futurus; quod opto, ut uterque nostrum consequatur.

Item. Certabit ille mecum obsequio, et in pietate sua nemini concedet.

3) Remunerationis pollicitatione.

Manut. Lib. II. Ep. XXIX. Beneficium conferes in gratum: memorem enim cognovi. Sed tu eum ne spectes; me vide, qui a te peto: mihi enim gratius facere nihil potes.

Muret. Lib. I. Ep. XLIV. Experieris me hercule, re ipsa et grati animi juvenem, et commodorum memorem.

4) Aut occupatione, excusatione, correctione.

Cicero Lib. VI. Ep. IX. Nihil attinet me plura scribere, quam quod mihi necesse est ejus salutem et fortunas, quibuscunque rebus possum tueri, ut vides.

Plinius Lib. I. Ep. XIV. Tu fortasse me putes, indulsisse amori meo, supra ista, quam res patitur sustulisse. At ego fide mea spondeo, futurum, ut omnia longe majora, quam a me praedicantur, invenias. Diligo quidem adolescentem ardentissime, sicut meretur: sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus.

Muret. Lib. I. Ep. XLVIII. Impedior verecundia, ne pluribus verbis te rogem: illud tantum dicam, quod in sermone saepissime mihi significavit, eum non alia ulla de causa e tam longinquis regionibus venisse, quam ut te videret et cognosceret.

5) Quasi nostra causa sit.

Cic. Lib. X. Ep. I. Teque hoc existimare volo, quicquid in eum judicii, officiique contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse.

Idem Lib. XII. Ep. XXIO. Tantum velim existimes, si negotia, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam.

6) A veleri amicitia.

Plin. Lib. VI. Ep. VIII. Rogo, oro, des operam, ne ille se, quod validissime vereor, a me, ego me neglectum a te putem. Dabis autem, si hoc perinde curae est tibi, quam illud mihi.

Idem Lib. VII. Ep. XXXI. Hunc hominem, appetentissimum tui, (mihi crede) complectere, apprehende, imo et invita, ac sic ama, tanquam gratiam referas: neque enim obligandus, sed remunerandus est in amoris officio, qui prior coepit.

7) Nobis gratum fore.

Cic. Lib. VII. Ep. XVII. Velim igitur, mi Brute, tibi persvadeas, nihil me majore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quam si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiam in petitione juveris. Quod ut facias, vehementer te rogo.

Idem Lib. XIII. Ep. XIII. Quare ut et meum amicum, et tua dignum amicitia tibi commendo. Cui quibuscunque rebus commodaveris, tibi profecto jucundum, mihi certe erit gratum.

Idem Ep. XXXIII. Gratissimum mihi feceris, si intellexero, hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse.

Muret. Lib. I. Ep. XLVIII. Hae literae meae, si aliquod pondus apud te habuerint, dupliciter gaudeo: primum enim Lipsio meo, cui vehementer cupio, commodavero; deinde mihi ad amicitiam tuam quasi fores et aditum patefecero. Quo mihi nihil potest contingere optabilius.

8) Aut fiducia et concepta spe de amico.

Cic. Lib. VI. Ep. IX. Nihil a te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte erga habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

Idem Lib. XI. Ep XVII. In ea re quantum me adjuvare possis, facile perspicio: nec vero quantum mea causa velis, dubito.

COLLECTANEA EPISTOLICA.

IN RESPONSORIAM.

A. *Exordium.* 1) A laude amici commendantis.

Cic. Lib. V. Ep XI. Grata tibi esse officia mea non miror: cognovi enim te gratissimum omnium; idque nunquam destiti praedicare. Nec enim tu mihi gratiam habuisti; verum etiam cumulatissime retulisti. Quamobrem reliquis tuis omnibus rebus pari me studio erga te, et eadem voluntate cognosces.

2) Aut literarum acceptarum et institutae commendationis repetitione.

Cic. ad Att. Lib. IV. Ep. XV. Paccio re et verbis ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet. Itaque in intimis meis est: cum antea notus non fuisset.

Buchn. Ep. XC. Adolescentem, quem commendas nobis, et amplexus sum, et quaecunque a me expectari possunt, bona fide obtuli. Quid enim talibus non debeo? In primis vero iis, qui a viro tali ac amico commendantur.

3) Aut modesta narratione, quae jam fecerimus.

Cic. Lib. X. Ep. XIII. Ut primum potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil praetermisi in te ornando, quod positum esset aut in praemio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipso S. C. poteris cognoscere: ita enim est perscriptum, ut a me descripto dicta sententia est: quam Senatus etc.

4) Aut a difficultate.

Plin. Lib. X. Ep. XXIII. Id quod petis, non temere dare proposui: sed cum Harpocrati tua jam impetraveris, huic quoque petitioni tuae negare non sustineo.

5) Aut laude commendati.

Rupert. Etsi praestantissimus juvenis N., quem mihi commendasti, svavi sua indole et eruditione, moribusque ab ipsa humanitate factis domesticum secum testimonium circumferat; ita enim omnium animis influit, ut alieno teste indigere minime videatur; sed virtute sua se universis probare possit: Tua tamen commendatio, quae velut auctarium accessit, magis nos invitat, ut omni genere officiorum studium nostrum ipsi cumulatissime probemus.

6) Aut gratulari de oblata occasione facultate gratificandi et testari bene merendi studium.

Cic. ad Attic. Quid ego audio? Vis tibi ignosci, quod me tuis commendatitiis literis oneras. Imo sic interpretor, ingens beneficium abste datum, qui tali viro me conciliaris.

B. *Proposito.* Significabit animum promptum, et officii atque studii promissionem.

Cic. XV. Ep. XIV. Itaque, quanquam profecerint literae tuae, tamen aliquando plus commendationis apud me habuit animus ipsius ergate mihi perspectus et cognitus. Sed de Fabio faciemus studiose, quae rogas.

Idem ad Attic. Lib. II. Ep. XXII. Libenter accepi in amicitiam, et hominem gravem, et prudentem, et tua commendatione dignum cognovi.

Ad Attic. Aib. VI. Ep. I. Illum ego omni studio te auctore sum amplexus, quem etiam amare coepi.

C. *Confirmatio* habeat rationes, cur gratificemur, et commendatum recipiamus.

1) A persona commendantis.

Cic. Att. Lib. IV. Ep. XV. Et verbis et re ostendi, quid tua commendatio ponderis habeat; itaque in intimis meis est; cum antea notus non fuisset.

2) A persona commendati, quod dignus sit.

Mur. Lib. I. Ep. XLVIII. Ita me sibi devinxit praestantia ingenii et doctrinae, integritate morum, svavitate sermonis ac consvetudinis.

Buchn. Ep. XXVIII. Ego vero civitati vestrae gratulor de alumno et tali cive: qui et ornamento singulari olim et magno praesidio poterit esse.

3) A minori ad majus.

Manut. Lib. II. Ep. XX. Cum virtutem vel in hoste diligamus; ea enim ejus vis est. Quantopere in iis nos movere debet, qui nos observant et colunt.

D. *In conclusione* gratam fuisse commendationem ostenditur.

Manut. Lib. II. Ep. XX. Supra commemorata.

CUM COMMENDATIONI LOCUM DARE NON POSSUMUS.

A. *In exordio.* Nos libenter gratificari amico velle, ac dolere ex animo, quod nequeamus.

Cic. ad Attic. Et tu diligenter commendas, et ille mihi visus est dignus, cui tantopere faveas. Sed temporum iniquitas

in causa fuit; quominus licuerit illi tantum praestare, quantum volebam.

B. *In propositione* dicemus, nos non posse gratificari.

Plin. Lib. VII. Ep. XIV. Invicem ego et rogo et exigo, ut non solum quid te, verum etiam quid me deceat, aspicias, patiarisque me in hoc uno tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obsequi soleo.

C. *In confirmatione*, 1) Rationes afferantur a conditione temporum, periculis etc. 2) Aut non esse in nostra potestate, sed ab aliis pendere. 3) Aut ab ipso commendato petantur, esse stupidum, ineptum. 4) Ab inutili vel periculoso.

D. *In conclusione*, rogamus, ut liberum nostrum responsum ferat aequo animo; et nihil amicitiae tot annos cultae hac negatione detrahi.

2.

PETITORIAE EPISTOLAE.

1. Ex Cicerone. Lib. IV. Epist. XIV.

Argumentum.

Petit ab Attico duo Cicero: ut ex Bibliotheca ejus libros, cum alios, tum Varronis mutuo sumere sibi liceat: et de rebus ad se novis saepe scribat.

Dispositio. 1. *Principium*, scriptionis institutae occasionem, et sollicitudinem Ciceronis de Attici valetudine continens. 2. *Propositio*, quae duplicem petitionem habet. 3. *Confirmatio*

petitionis, rationibus ab utili, facilique desumptis, constans. 4. *Conclusio* petitione nova facta: ut, itinere ex sententia confecto, suos Atticus revisat: Dionysium salutet.

Usus, cum ab amico, qui abest ac peregrinatur petere volumus, ut ejus interim nobis bibliotheca pateat: ipse ad nos saepe scribat.

1. Vestorius noster me per literas fecit certiorem, te Roma ad VI. id. Maii, putare profectum esse; tardius, quam dixeras: quod minus valuisses. Si jam melius vales, vehementer gaudeo. 2. Velim, domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant, non secus; ac si ipse adesses, cum coeteri, tum Varronis. 3. Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris, ad eos, quos in manibus habeo, quos ut spero, tibi valde probabo. Tu velim, si quid forte novi habes, maxime a Quinto fratre, deinde a C. Caesare, et si quid forte de comitiis, de Republ. (soles enim tu haec festine odorari) conscribas ad me: si nil habebis, tamen scribas aliquid; nunquam enim mihi tua epistola aut intempestiva, aut loquax visa est. 4. Maxime autem rogo, rebus tuis, totoque itinere ex sententia confecto, nos quamprimum revisas. Dionysium jube salvere. Cura, ut valeas.

2. Ex Mureto Libr. I. Epist. XXXVIII.

Ut versus aliquot conscribat.

Mureto Petrus Perpinianus S.

Onus Aetna gravius mihi videntur sustinere, qui alteri fidem suam adstrinxerunt: nisi ejus, aut cui, aut pro quo spoponderunt, humanitate subleventur. Scis, credo, quid velim, de versibus illis in D. Mariam Lauretanam, qui eos a te optabat, propter singularem exspectationem elegantiae et doctrinae tuae,

is me urgere non cessat. Ego tametsi, inscio et inconsulto te, me temere recepisse intelligo: tamen hanc temeritatem in spondendo meam tua eximia, in re perficienda humanitate, compensatum iri confido. Si quid possunt fontes et pomaria Tiburtia, si quid iste secessus otii a quotidianis occupationibus tuis attulit, oro te atque obsecro, ut ostendas, me non nullum apud te gratiae locum obtinere. Quaedam tecum communicare cupiebam: sed ea melius, ut spero, coram, ubi ad nos redieris. Nam summus nostrae societatis magister statuit, ut Romae anno proximo manerem. Nostri omnes te salutant. Vale.

RESPONSORIAE.

AD PETITORIAS.

Ex Cic. Libr. XI. Epist. VI.

Argumentum.

Respondet ad Bruti epistolam Cicero: promittit in augenda dignitate, nullo loco, vel consilium, vel studium suum eidem defuturum.

Dispositio: 1. *Exordium*, narratione constans, qua scribendi occasio exponitur. 2. *Propositio*, petitionis repetitionem, et studii declarationem habet, in dignitate Bruti commendanda. 3. *Confirmatio*, argumenta ejusdem continet, a signo amoris, studii, benevoleniiae, et praestitis jam in Senatu officiis. 4. *Conclusio*, nova studii atque officii delatione constat.

Usus. cum amico, dignitatis suae petenti vel defensionem, vel amplificationem, opem atque auxilium polliceri nostrum volumus.

1. Lupus noster cum Romam sexto die Mutina venisset, postridie me mane convenit, tuaque mihi mandata diligentis-

time exposuit, et literas reddidit. 2. Quod mihi tuam dignitatem commendas; eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare; quam me hercule non habeo tua chariorem. Quare mihi gratissimum facies, si exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco, nec consilium, nec studium meum defuturum. 3. Cum Tribuni pleb. edixissent, Senatus adesset ad XIII. Calend. Januarias, haberentque in animo de praesidio Coss. designatorum referre: quanquam statueram in Senatum, ante Calend. Januarias, non venire; tamen, cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi Senatum, ut de tuis divinis in Rempubl. meritis sileretur: (quod factum esset, nisi ego venissem) aut etiam, de te si quid honorifice diceretur, me non adesse. Itaque in Senatum veni mane: quod cum esset animadversum, frequentissimi Senatores convenerunt. Quae de te in Senatu egerim, quae in concione maxima dixerim, aliorumte literis malo cognoscere. 4. Illud tibi persvadeas velim, me omnia, quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae est per se amplissima, summo semper studio suscepturum et defensurum: quod quanquam intelligo me cum multis esse facturum: tamen appetam hujus rei principatum. Vale.

Accedunt Collectanea Epistolica hujus generis per omnes epistolae partes in certos locos topicos eruditionis ergo digesta.

A. *Exordium.* Fit 1) laude ejus, quem rogamus.

Cic. Lib. XV. Ep. IV. Summa tua auctoritas fecit, meumque perpetuum de tua singulari virtute judicium, ut magni mea interesse putarem, et res eas, quas gessissem, tibi notas esse, et non ignorari a te, qua aequitate et continentia tuerer socios, provinciamque administrarem: his enim a te cognitis arbitrabar, facilius me tibi, quae vellem probaturum.

2) Significatione spei ac fiduciae:

Cic. Lib. XI. Epist II. De tua fide et benevolentia in nos nisi persvasum esset nobis, non conscripsissemus haec tibi, quae profecto, cum istum animum habes, in optimam partem accipies.

Idem Lib. XVI. Ep. XVIII. Nunquam putavi fore, ut supplex ad te venirem: sed hercule facile patior, datum tempus, in quo amorem experirer tuum.

2) Excusatione modesta.

Cic. Lib. V Ep. XII. Coram me tecum haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam pene subrusticus: quae nunc expromam absens audacius: Epistola enim non erubescit.

Buchn. Ep. CXXXVI. Non erit molestiae, te interpellari a Buchnero tuo, quem huc necessitas filiae viduae redegit.

4) Excusatione, quod idem saepius petamus.

Cic. Lib. XVI. Ep. XXI. Non dubito, quin mirere, atque etiam stomachere, quod tecum de eadem re saepius agam.

5) A voto.

Cic. Lib. XV. Ep. XIII, Maxime mihi fuit optatum, Romae esse tecum multas ob causas, sed praecipue, ut et in petendo et in gerendo consulatu meum debitum tibi studium perspicere possis

Plin. Lib. VI. Ep. VI. Si quando nunc praecipue cuperem esse te Romae, et sis, rogo. Opus est mihi etc.

6) Aut petitionis ipsius gravitate, aequitate.

Mur. Lib. III. Ep. LXXV. Rem arduam sane tentamus, atque difficilem; sed ut speramus judicio tuo, Murete, et auctoritate confirmati, laudabilem inprimis et fructuosam, non tam nationi nostrae, quam universae Reipub. literariae.

B. *In Narratione.* Exponatur id, quod rogare volumus.

Cic. Attic. Lib. I. Ep. I. Petitionis nostrae, quam tibi summae curae esse scio, hujusmodi ratio est.

Plin. Lib. I. Ep. XXIV. Tranquillus, contubernalis meus, vult emere agellum, quem venditare amicus tuus dicitur. *Prop.* Rogo cures, quanti aequum est emat.

C. *Propositio.* Constat 1) petitione brevi ac simplici.

Cic. Lib. II. Ep. VI. Non dubitavi id a te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeque necessarium.

Idem Lib. III. Ep. V. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo; sed quod tuo commodo fieri possit.

Idem Lib. XIII. Ep. XIV. Hoc ate ita contendo, ut ea in re fortunas meas positas putem.

Idem Lib. XVI. Ep. VI. Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium.

2) Excusatione impositi oneris.

Cic. Attic. Lib. V. Ep. IX. Sed non audeo tibi omnia opera imponere.

3) Formulae petendi.

Valde hoc velim. Tu fac venias. Nostra negotia, amabo te, explica. De N. plane rogo.

Rogo, ut, si unquam mea causa quicquam aut sensisti, aut fecisti, de hac quoque, si me amas, si te a me amari scis, enitere. etc.

Muret. Lib. I. Ep. XIV. Nunc est, quod te magnopere oratum velim.

D. *Confirmatio*, Rationes habeat.

1) Ab honesto.

Plin. Lib. IV. Ep. XIII. Nihil honestius praestare liberis vestris, nihil gratius patriae potestis.

Idem Lib. VI. Ep. VI. Hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas postulat.

2) Ab aequitate.

Cic. Lib. IX. Ep. XV. Etsi multa affero justa ad impetrandum.

Idem Lib. XIV. Epist. XIII. Postremo, meo jure te hoc beneficium rogo: nihil enim non tua causa feci.

3) Ab utili.

Plin. Lib. VI. Ep. VI. Permultum interest mea, ostentare te, et mecum circumire. Ea est auctoritas tua, ut putem me efficacius tecum etiam meos amicos rogaturum.

4) A necessario.

Cic. Lib. XI. Ep. XXVI. Crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo, magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te etc.

5) A jucundo.

Cic. Lib. XIII. Ep. III. Tam mihi gratum erit, quam quod gratissimum.

Item Ep. XXXV. Erit id mihi majorem in modum gratum.

Attic. Lib. V. Ep. XIV. Nihil mihi gratius facere potes, nisi tamen id erit mihi gratissimum, si, quae tibi mandavi, confeceris.

Ibid. Omnium tuorum officiorum, quae et multa et magna sunt, gratissimum mihi fuerit.

6) A facili.

Cic. Lib. VIII. Ep. IX. In hoc negotio nulla tua nisi loquendi cura est; hoc est imperandi et mandandi.

Id. L. X. Ep. VII. Non minus posse te, quam velle, exploratum mihi est.

6) Fiducia, spe.

Cic. Lib. III. Ep. III. Sed te quoque confido ea esse facturum, quae mihi intelliges maxime esse accommodata.

Id. L. XV. Ep. XIII. Non audeo vehementer a te contendere, ne aut ipse tuae perpetuae consvetudinis erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem.

7) A promissis factis.

Cic. Lib. III. Ep. IX. Illud, quod polliceris, velim pro tua fide diligentiaque, et pro nostra non instituta, sed inveterata amicitia cures, enitare, ut etc.

Attic. Lib. III. Ep. VIII. Significasti, tibi omnia mea mandata curae fore; in quibus unum illud te praecipue rogo.

8) Occupatione a difficultatibus. 9) Refutatione objectionum. 10) A consvetudine.

E. *Conclusio* absolvitur. 1) Pollicitatione, gratiarum, et studiorum ac officiorum modesta delatione, ac remuneratione.

Cic. Lib. III. Ep. II. Hoc velim tibi persvadeas, si rationibus meis a te provisum esse intellexero, magnam te ex eo et perpetuam voluptatem esse capturum.

Idem Lib. V. Ep. IV. Quod si mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate, tibi confirmo.

Id. Lib. XV. Epist. XII. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet.

2) Ob amicitiam.

Cic. Lib. XIII. Ep. IV. Pro nostra summa necessitudine, parique inter nos, et mutua benevolentia abs te peto, ut etc.

Item Ep. LXXVII. A te peto majorem in modum, pro nostra amicitia, et pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores.

Casaub. Ep. LXXXI. Te ex lege sanctissimae nostrae amicitiae convenio, adjuves laborantem, et eruas alicunde aliquid futurum usui.

3) Aut renovatione petitionis.

Cic. Lib. V. Ep. X. Quare te rogo, si opus erit, ad Caesarem meam causam agas, meque tibi in omnes partes defendendum putes; hoc existimans, neminem te tui amantiorem habere.

Idem Lib. XI. Ep. IV. Adjuva nos tua sententia; quod cum facies, ex magna parte communi commodo inservieris.

Ibidem Ep. LXVI. A te hoc omni contentione peto, sic, ut majore cura, majore animi labore, petere non possim, ut etc.

COLLECTANEA EPISTOLICA.

IN RESPONSORIAM, AD PETITORIAM.

A. *Exordium.* A significatione acceptarum literarum.

Plin. Lib. I. Ep. VIII. Peropportune mihi redditae sunt tuae literae, quibus flagitabas, ut tibi aliquid ex scriptis mitterem, quum ego id ipsum destinassem: addidisti ergo calcaria sponte currenti, pariterque, et tibi veniam recusandi laboris, et mihi exigendi verecundiam sustulisti. etc.

1) Aut repetitione petitionis.

Plin. Lib. I. Ep. IX. Quae ad me de tuis rebus domesticis scribis, quaeque mihi commendas; ea tantae mihi curae sunt, ut me nolim admoneri; rogari vero sine magno dolore vix possum.

2) Aut abrupta gratificatione.

Plin. Lib. II. Ep. XVIII. Quid a te jucundius mihi injungi potuit, quam ut fratris tui liberis praeceptorem quaererem etc.

Idem Lib. III. Ep. XII. Veniam ad coenam; sed jam nunc paciscor, sit expedita, sit parca: Socraticis tantum sermonibus abundet; in his quoque teneat modum.

B. *Propositio*, constat pollicitatione eorum, quae petuntur.

Plin. Lib. I Ep. XIV. Nihil est, quod a te mihi mandari aut majus, aut gratius; nihil, quod honestius a me suscipi possit, quam ut eligam juvenem.

Idem Lib. III. Ep. XV. Sed ego nec rogandus sum, nec hortandus: nam et Pöeticen ipsam religiosissime veneror, et te validissime diligo. Faciam ergo, quod desideras, tam diligenter, quam libenter.

C. *In confirmatione* 1) ostendatur, quid ejus causa egerit. Uti supra in responsoriis ad commendatorias.

D. *Conclusio* habeat, 1) votum, ut omnia feliciter cedant.

Sadolet Lib. IX. Ep. IV. Quod ut ita eveniat, tibique sempiternae et laudi et felicitati sit, Deum eundem supplex omnibus precibus rogo etc.

Idem Lib. XII. Ep. IX. Deus omnipotens omnia et coepta et consulta tua ad optatum finem, et eundem sibi gratum, acceptumque perducat.

2) Deinde pollicitationem studii summi.

Casaub. Ep. CCCLXXIX. Mej nominis oblivio me potius capiet; quam ullam praetermittam tibi inserviendi, et mandata tua exsequendi occasionem.

RESPONSORIA.

AD PETITORIAM, CUM RECUSAMUS, NOS PETITIONI LOCUM DARE. CONFER COMMEND.

A. *Exordium.* Constet 1) significatione studii erga amicum.

Muret. Lib. I. Ep. XVI. Moriar, si quicquam unquam feci invitus: sed tamen effugere non possum, quin Tibi de Tibullo parum obsequar.

2) Aut excusatione tardae responsionis.

Mur. Lib. III. Ep. LXXVIII. Occupationes, quibus perpetuo distineor, effecerunt, ut ad literas tuas, quas binas eodem exemplo accepi, serius, quam par erat, respondeam, eaedemque mihi nunc necessitatem brevitatis imponunt: accipe igitur ad singula.

B. *Propositio* proponat 1) negationem.

Manut. Lib. II. Ep. III. Quare, quod me Parmam vocas, et multis verbis invitas amantissime, non me literae tuae sopitum excitarunt; sed currentem potius, ut ajunt, incitarunt. Quod utinam cum voluntate cetera congruerent: jam jamque vobiscum essem.

C. *Confirmatio,* rationes habeat, cur effici, aut impetrari res non potest.

1) A personis, et offensione eorum, a quibus quid impetrandum.

Cic. Lib. IX. Ep. XIX. Me quotidie aliud ex alio impedit: sed si me expediero, ut possim etc. non committam, etc.

2) Aut temporum conditione.

Manut. Lib. II. Ep. III. Sed vides anni tempus; vides itinerum difficultatem: scis, quam imbecillo sim corpore, quam

tenui, et ad incommoda injuriasque coeli perferendas parum apto. Timeo etiam a militibus; a quibus otium non est: excurrere enim dicuntur, et praedas facere.

3) Vel agendi modo et difficultate.

Mur. Lib. I. Ep. XVI. Etenim, quae in eo libro maxime videntur operam meam requirere, ea ego aeque intelligo, atque si scripta non essent.

4) Aut quod sit petitio contra fidem, constantiam et prudentiam.

Sadol. Lib. IX. Ep. VII. Sed vere dicam, subvereri mihi interdum veniebat in mentem, ne parum sapienter id negotium attingam, quod minime omnium mihi videtur convenire: quis enim ego sum, qui has mihi partes sumam etc.

Ibidem. Ego autem et longe absum, et nulla insigni facultate ad id agendum sum praeditus.

Ibidem. Ex quo mihi venit in mentem, mirari vim et gravitatem literarum tuarum, quae me videntur id prudentissime rogare, quod ego praestare salva prudentia non possim.

4) Vel non esse in nostrâ potestate.

Cic. ad Att. Lib. V. Ep. XV. Clitellae bovi sunt impositae, plane non est onus nostrum.

Plin. Lib. I. Ep, VII. Vide in quo me fastigio collocaris quum mihi idem potestatis, idemque regni dederis, quod Homerus Jovi.

5) Vel ab inutili et supervacaneo.

Cic. Lib. VI. Ep. 20. Sed tamen aliquid videbimus, in quo sit spes; aliter quidem non modo non appetendum, sed etiam fugiendum puto.

Sadol. Lib. IX. Ep. X. An tu arbitrare, si esset spes aliquid praeclare, salutariterque agendi, quin ego memet ipsum essem expositurus, atque oblaturus etc.

6) Aut officii et studii pollicitatione.

Sadolet. Lib. VIII. Ep. II. Te amaria me mirifice, et coli, valde tibi persvasum esse volo: neque me magis appetere quidquam, quam ut meae erga te voluntati tua mutuo voluntas in me amando respondeat Vale.

Id. Lib. X. Ep. VI. Et tibi et isti amplissimo Senatui ita mea studia polliceor ac defero, ut, quoad per me recte fieri poterit, paucos mihi pares in amore et cupiditate vestrarum rerum secundarum sitis habituri. Vale.

3.

ADHORTATORIAE EPISTOLAE.

1. Ex Cicerone. Lib. II. Epis. IV.

Argumentum.

Curionem Cicero ad summae laudis studium cohortatur.

Dispositio. 1) *Exordium*, praemunitione constans ad cohortationem, enumeratione et distributione facta variorum generum Epistolarum. 2) *Propositio* adhortationis. 3) *Confirmatio* ejusdem, argumenta continens ab expectatione incredibili et facili desumpta. 4) *Conclusio*, praecisione adhortationis, et expositione causarum facta, qua utraque cohortatio instituta mitigatur.

Usus, cum hortari adolescentem volumus, ut excitatae de se spei atque expectationi satisfaciat.

1) Epistolarum genera multa esse non ignoras: sed unum illud certissimum, cujus causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut no-

stra, aut ipsorum interesset. Hujus generis literas a me profecto non exspectas: tuarum enim rerum habes, et scriptores, et nuncios: in meis autem rebus nihil est sane novi. Reliqua sunt Epistolarum genera duo, quae me magnopere delectant: unum familiare et jocosum; alterum severum, et grave: utro me minus deceat uti, non intelligo. Iocerne tecum per literas? Civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An gravius aliquid scribam? quid est, quod possit graviter a Cicerone scribi ad Curionem, nisi de Repub? atqui in hoc genere haec mea causa est, ut neque ea, quae non sentio, velim scribere. 2) Quamobrem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua solco, teque ad studium summae laudis cohortabor. 3) Est enim tibi gravis adversaria constituta, et parata incredibilis quaedam expectatio: quam tu una re facillime vinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris; quibus artibus eae laudes comparantur, in iis esse elaborandum. 4) In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse considerem: et hoc quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei. Vale.

2. Libr. X. Epis. III.

Argumentum. C. Plancum hortatur: ut Reipublicae in sese defensionem suscipiat.

Dispositio. 1) *Exordium*, quod scribendi occasionem: laudem Planci: veteris amicitiae ac necessitudinis commemorationem habet. 2) *Propositio* hortatoria: ut Rempublicam Plancus defendat: inde reliquae vitae dignitatem acquirat. 3) *Confirmatio*, in qua argumenta ponuntur, ab hominum judiciis parum commodis: facultate: occasionibus praeclaris: utili, desumpta. 4) *Conclusio* verecunda expositione causarum, instituta cohortationis et officii atque studii pollicitatione, absolvitur.

Usus, cum hortari amicum cupimus, ut in officio et munere publico, adjuvandam potius, quam oppugnandam Rempub. autoritatem Suam conferat.

1) Cum ipsum Furnium per se vidi libentissime, tum hoc libentius, quod illum audiens, te videbar audire. Nam et in re militari virtutem, et in administranda provincia justitiam, et in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: et praeterea mihi non ignotum in consvetudine et familiaritate suavitatem tuam adjunxit: praeterea summam erga te liberalitatem. Quae omnia mihi jucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra, ante aliquanto, quam tu natus es: amorem autem erga te, ab ineunte pueritia: confirmata jam aetate, familiaritatem, cum studio meo, tum judicio tuo, constitutam. His de causis mirabiliter faveo dignitati tuae: quam mihi tecum statuo debere esse communem. 2) Omnia summa consecutus es, virtute duce, comite fortuna: eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingenio industriaque fregisti. Nunc me amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies, omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo Reipub. statu acquires. 3) Scis profecto (nihil enim te fugere potuit) fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent, te nimis servire temporibus: quod ego quoque existimarem, si te ea, quae patiebare, probasse etiam arbitrarer. Sed cum intelligerem, quid tu sentires: te arbitrabar videre, quid posses. Nunc alia ratio est omnium rerum: tuum judicium est, idque liberum: Consul es designatus, optima aetate, summa eloquentia, maxima orbitate Reipublicae virorum talium. Incumbe, per Deos immortales, in eam curam, et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam afferat. Unus autem est, hoc praesertim tempore, per tot annos Republica divexata, Reipublicae bene gerendae cursus ad gloriam. 4) Haec, amore magis impulsus, scribenda

ad te putavi, quam quod arbitrarer, te monitis et praeceptis meis egere. Sciebam enim, exiisdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipse hauferam. Quare modum faciam. Nunc tantum significandum putavi: ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam. Interea, quae ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiose, diligenterque curabo. Vale.

3. Ex Manutio Lib. I. Epist. XV.

Argumentum. Ad studia literarum hortatur.

Manutius Antonio Possevino S.

Gratus, et jucundus admodum amor is, qui te in eam mentem impulit, ut officii gratia ad me scriberes. Quid enim aliud existimem? Cum argumentum res quidem ipsa tibi nullum daret. Ingenium vero mirifice tuum amavi, amplexatusque, quantum licuit, animo sum, quod raptim, et, ut ad hominem familiarem, familiariter cum scriberes, epistolam tamen confeceris elegantissimam, distinctam luminibus eloquentiae; in qua non fucatus, sed verus, ac tanquam naturalis Romanae lingvae color eniteat. Macte, Possevine, fratre jam major, juvene eximio: urge totus in studio literarum. Vides, quae te manent praemia. Gloriam habes proximam, eamque poene manibus attingis. Paululum si te incitaveris, apprehendes. Non me hercule, quia nolis, dico: sed, ut intelligas quantum cupiam, propterea dicendum putavi: faveo enim omnibus, qui recte sentiunt, recteque faciunt: in te vero mea praecipua et est voluntas, et esse debet. Scis, quintum adhinc annum, Romae, cum te frater tuus adolescentulum adduxit: ad me, quibus verbis commendaverit, amicitia junxerit; et veluti in clientelam tradiderit. Ex eo tempore, quoties adiisti ad me: quos tecum ha-

buerim sermones, quam studiose, quam amanter ad illa praeclara, quae frater tuus amabat, sim cohortatus, potes recordari. Dixi saepe, non esse tibi de fortunae bonis cogitandum, quae vel improbi malis artibus quaererent, vel bonis viris recte quaesita facile casus eriperet. Ostendi vere et esse, et appellari divitem posse, qui liberalium doctrinarum scientiam possideret. Non neglexisti, contulisti cogitationes omnes tuas ad studium verae laudis, et in eo nunc apud Franciscum Gonzagam, nobilissimum, ac virtutis amore incensum adolescentem, ita versaris, ut propemodum videaris excellere. Quare gratulor equidem fratris tui manibus, quos letari arbitror summopere, quia talis es, et quia fore tantus videris, quanta potest esse virtus maximo ingenio, acerrima voluntate, summo studio comparata. Nec vero quod Epistola tua significat, mea tibi sunt, aut ad ullam fortunae accessionem, aut dignitatem studia expectanda. A te ipso, mihi crede, omnia proficiscentur. Ea pro te pensabit, ea tibi omnes honores, omnes, quas petieris, opes impetrabit. O praeclaram vitae ducem. Te felicem, Possevine, qui cum hac vivis, et vivendum statuis: me miserum, qui, cum idem sentiam, cogor tamen eam a me disiungere, victus gravitate morbi, et iis curis, quae invitum alio traducunt. Quod si me Deus aliquando respexerit; acquiescam in iis studiis, quae sola sunt ad naturam meam, sola tranquillitatem animis afferunt, hominemque paulatim ab homine separant, et quantum licet. cum Deo conjungunt velle. Venetiis.

4. Ex Manutio Lib. III. Epist. VII.

Ad curandum valetudinem.

Manutius Mureto S.

Quid homini non timendum? Cum te, tam validum, istis lateribus, ista aetate, nihil tale metuentem animus reliquerit.

Valde me percussisti tam gravi nuncio, eoque magis, quod ignorare te causam scribis. Nam tuendi tui quam rationem inibis, si te morbus invasit imprudentem? Tuam continentiam narras: equidem ita credo. Unde igitur fluxit vitium? parce tibi in studiis, mi Murete, pro eo quanti ipse tibi es; aut, si, te ipse non diligis, quem omnes pene diligunt, pro eo quanti ipse apud te sum: quem tu nisi magni facis; Egregium simulandi tenes artificium. Nescis modum esse retinendum in omni re? Nescis, virtutem non esse. Age igitur, jam te respice, si minus antea: tibi consule, et eam quaere gloriam, quae te viventem oblectet, non quae discedentem e vita prosequatur. Ita diu jucunde vivas, ut acerbe nunc vivo, quia sollicitus de te sum. Medicos habes doctrina singulari, quorum consilio uti possis: coelo uteris clementissimo: in rebus tuis nihil, opinor, est incommodi. Genus enim vitae non honestum minus, quam utile delegisti. Etsi te scio de re et lucro minimum laborasse; illa vero habuisse prima, quae nec mihi postrema umquam fuerunt, decus, et amicitias nobilium virorum. Haec cum ita sint; modo paullo minus mentem, et paullo magis corpus exerceas, rectissime tibi erit: nosque tui peramantes, afficies maxima laetitia. Quod auguror futurum; et, ut meam spem, quantum in te est, exitu confirmes, te ipsum tua, nec minus mea causa, rogo. Kalendis April omnino te, sin id minus, Catullum tuum expecto; diem unum prorogari, e re mea non est. Vale.

5. Ex Mureto Lib. I. Epist. LXII.

Argum. Quibuscum familiariter uti debet.

Muretus Alexand. Ripario. S.

Nemo est omnium ad quem libentius, quam ad te scribam. Sum enim animo ac voluntate erga te plane paterna,

Sed vix credas, quam sim in tuo secessu occupatus: quem tamen plerique omnes esse plenum otii putant, et quotidie quinas aut senas ab amicis literas accipio, ad quas si respondere omnes velim, nihil aliud agendum sit. Gratum est mihi, quod applicuisti te ad consvetudinem F. Aemilii et Horatii Macarii. Eorum uterque enim te et doctrina, et exemplo efficere meliorem potest. Tales sectare: qui autem alio ingenio sunt, eorum consvetudinem, quasi pestem aliquam vita. Aetati tuae nihil diligentius providendum est, quam quibus sodalitatibus utare. Neque ego severum esse te ac tetricum, omnique genere voluptatum inimicum volo. Hoc tantum moneo, non eas amicitias quaerendas, quae dulcissimae videantur; sed inducendum animum, ut quae honestissimae sunt, easdem etiam dulcissimas esse ac svavissimas putes. Mi Alexander etiam atque etiam vale.

6. Ex eodem Lib. I. Epist. LXIII.

Argum. Ut bono ingenio recte utatur.

Muretus Ripario S.

Vide quam te amem, cum a multis hodie literas acceperim, nihil mihi prius faciendum esse duxi, quam ut ad te potissimum rescriberem. Cave putes, Alexander mi, ipsi te patri tuo chariorem esse, quam mihi. Ac si quaeras, quae causa sit hujus erga te tanti amoris mei? ne vivam, si aliam adferre possum, quam quod videor mihi animadvertisse in te ingenium excellens, et, si tu volueris, ad omnia summa natum. Sed tu hoc facito tecum cogites: multas res esse suapte quidem natura bonas; sed quae culpa eorum, qui illas possident, interdum pessimae ac perniciosissimae fiant. Bonae sunt opes, sed si quis non recte utatur, malae. Bonum forma, sed multis exitio fuit. Ex eodem genere est ingenium: si recte utaris, nullum prope hominum generi dari potest majus, aut praestabilius

donum. Sed si ad bonum ingenium mala mens accesserit, itidem erit, ut gladius in manu furiosi. Quo erit melior et acutior, eo plus adferet mali. Ego autem te, Alexander, amo nunc, quia ingenio bono es; amare desinam, si tu bono ingenio bene usurum esse confido, vel tuapte sponte, vel quia videris mihi valde amare amorem erga te meum: quem tueri ac conservare alia ratione nulla potes. Vale, et si me amas, virtutem ac literas ama. Nulla in humanis rebus majora bona sunt. Iterum vale.

RESPONSORIAE AD ADHORTATORIAS.

7. Ex Cic. Lib. X. Epist. IV.

Agumentum. Ciceronis Epistolae Plancus respondet, ejusdemque locum sese relicturum adhortationi, pollicetur.

Dispositio. 1) *Exordium,* collaudatione institutae cohortationis: Excusatione silentii: officii ac studii causis, constat. 2) *Propositio* obedientiae pollicitationem habet. 3) *Confirmatio* rationes hujus complectitur: ab utili: Ciceronis auctoritate: Planci consilio, atque instituto, sumptas. 4) *Conclusio,* sollicitudinis ac curae declaratione animi grati: mutui amoris petitione, absolvitur.

Usus, cum ostendendum: aliorum nos, in gereudo officio, aliisve rebus parere adhortationi velle.

Plancus Ciceroni S. D.

1) Gratissimae mihi tuae literae fuerunt, quas ex Furnii sermone te scripsisse animadverto. Ego autem praeteriti temporis excusationem affero, quod te profectum audieram: nec multo ante rediisse scivi, quam ex epistola tua cognovi. Nullum enim in te officium, ne minimum quidem, sine maxima culpa, videor posse praeterire. In quo tuendo habeo causas plurimas, vel paternae necessitudinis, vel meae a pueritia ob-

servantiae, vel tui erga me mutui amoris. 2) Quare, mi Cicero, quod mea, tuaque patitur aetas, persvade tibi, te unum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. Omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiae plena, quae summa est, videntur, quam fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quare si aut aliter sentirem, certe admonitio tua me reprimere, aut si dubitarem, hortatio impellere posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares. 3) Nunc vero quid est, quod me in aliam partem trahere possit: Quaecunque in me bona sunt, aut fortunae beneficio tributa, aut meo labore parta, etsi, a te propter amorem, carius sunt aestimata, tamen vel inimicissimi judicio tanta sunt, ut praeter bonam famam, nihil desiderare videantur. Quare hoc unum tibi persvade, quantum viribus eniti, Consilio providere, autoritate movere potuero, hoc omne Reipublicae semper futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus; neque si facultas, optabilis mihi quidem, tui praesentis esset, unquam a tuis consiliis discreparem; nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere jure possis. Sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe, mense Januario, geratur, ut sciam. 4) Interim maximam hic sollicitudinem, curamque sustineo: ne, inter aliena vitia, hae gentes nostra mala suam putent occasionem. Quod si proinde, ut ipse mereor, mihi successerit; certe et tibi, cui maxime cupio, et omnibus viris bonis satisfaciam. Fac valeas, meque mutuo diligas.

Accedunt Cellectanea Epistolica hujus generis per omnes epistolae partes in certos locos topicos eruditionis gratia digesta.

A. *Exordium.* Sumi potest aut 1) a laude ejus, quem hortamur, 2) aut benevolentiae, curae, sollicitudinis, officii declaratione.

Manut. Lib. I. Ep. IV. Etsi multarum rerum curis atque oneribus ita premor, optime N. ut respirare vix possim: tamen ut literis tuis amantissime scriptis aliquid responderem, abjeci omnia, et officium, quod tibi a me debetur, habui antiquissimum.

3) Vel a gratulatione.

Manut. Lib. I. Ep. II. Solent esse, quae minus expectantur, laetiora: nihil tamen ista, qua te auctum nuper accepimus, dignitate; neque magis exspectatum apud eos, qui tua studia, tuos ad virtutem praeclaros impetus noverant, neque iucundius, aut laetitiae majoris unquam fuit.

4) Ab occasioue nuncii boni.

Erasmus. Dici non potest, jucundissime N, quanta tum me, tum omnes voluptate affecerit pulcherrimus rumor, nuper hic de rebus fortiter abs te gestis exortus.

B. *Narratio* est rei expositio.

Cic. Lib. X. Ep. III. Supra commemorata. Omnia summa consecutus es virtute duce, comite fortuna etc.

C. *Propositio.* 1) Directa adhortatione.

Cicer. Lib. XII. Ep. XXIV. Te tamen hortor, ut omni cura in Rempublicam incumbas: hoc est animi, hoc est ingenii tui, hoc ejus spei, quam habere debes amplificandae dignitatis tuae. Sed hac de re alias ad te pluribus.

Manut. Lib. II. Ep. VI. Aggredere: quid enim tibi non succedat? qui (ut omittam illa, quae pleno jam theatro spectata sunt, ingenium, doctrinam, judicium) quantus quantus es, totus labor, totus industria es.

Muret. Lib. II. Ep. V. Tu vero, mi Giphani, qui et ingenio excellis, et doctrina abundas, et ea es aetate, quae sit labori ferendo, perge, ut facis, aliquid assidue elaborare, quod et tibi gloriae sit, et nobis ac posteris usui.

2) Aut petitione et obtestatione.

Manut. Lib. III. Ep. VII. Supra commemorata. Parce tibi in studiis, mi Murete, etc.

Muret. Lib. I. Ep. LVIII. Tu, mi N. dulcissimea ac svavissime, sequere magno animo eam viam, ad quam et tua te natura fert, et ego tibi hortator atque impulsor fui.

3) Aut laude.

Cic. Lib. XII. Ep. I. Haec omnia vobis sunt expedienda, nec hoc cogitandum, satis jam habere Rempub. a vobis: habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare; sed contenta non est, et pro magnitudine et animi et beneficii vestri, a vobis magna desiderat.

4) Vel spe et fiducia concepta.

Mur. Lib. I. Ep. LVIII. Magnam de te spem testimonio meo apud parentes tuos concitavi, quae ne et eos, et me fallat, omni tibi cura ac studio providendum est.

It. Ep. LXXXVI. Multa nobis de te pollicemur, neque diffidimus, ea a te, Deo adjutore, praestitum iri.

D. *Confirmatio* habet probantia et moventia argumenta.

1) Ab honesto et laudabili.

Cic. Lib. X. Ep. III. Incumbe per deos immortales in eam curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam adferat: unus autem est, hoc praesertim tempore, per tot annos Repub. divexata, Reipub. bene gerendae cursus ad gloriam.

2) A turpi.

Erasmus. At si, quod omen Deus avertat, non solum pristinae gloriae tenebras offuderis, verum etiam in posterum omnem dignitatis spem tibi praecideris.

Muret. Lib. I. Ep. LXII. Supra commemorata.

5) A facili.

Erasmus. Impone summam manum immortalibus monumentis, a quorum absolutione non multum abes. Quod maximum ac difficillimum est, praestitisti; quod desideratur, plus habet decoris, quam difficultatis.

4) Ab expectatione aliorum.

Cic. Lib. X. Ep. V. Magna spes in te et in tuo exercitu, magna expectatio: cujus per Deos gratiae gloriaeque cave tempus amittas. Sicmoneo etc.

5) Ab occupatione sev refutatione objectionum.

Manut. Lib. I. E. IV. Improbas igitur, inquies, si ab antiquitate scribentes mutuemur? Ego vero, si apte fiat, etiam summe probo. Sed hoc ipsum, apte, quam difficile. etc.

Muret. Lib. I. Ep. XCIV. Nam quod ais, sine eloquentia multos ad summam amplitudinem pervenisse. sine sapientia neminem: verius dixisses, et sine sapientia et sine eloquentia.

6) A facultate et occasione.

Cic. Lib. VII. Ep. VIII. Quin tu urges istam occasionem et facultatem, qua melior nunquam reperietur.

Idem Lib. X. Ep. III. surpa commemorata.

7) Ab utili.

Erasmus. Ardua quidem et difficilis est virtutis via; sed amplissima tibi virtutis praemia propone. Decus, immortalitas, imperium, opes, dignitas, felicitas, in manu sunt, si pertenderis.

Muret, Lib. I. Ep. LIII. Anguror enim ex eo, bonarum literarum studiosos multum voluptatis, plurimum etiam utilitatis, ad Latinam Eloquentiam vel comparandam vel augendam percepturos.

8) A glorioso.

Manut. Lib. II. Ep. XXIV. Exerce ingenium tuum praeclaris in literis, et ede aliquid, quo tuum nomen, aeterna cum laude conjunctum, ab hominum oblivione, omnique prorsus interitu vindices.

E. Conclusio absolvitur 1) Adhortatione.

Muret. Lib. III. Ep. LXXIV. Quare quod facturus es aliquando, facias id quaeso citius vel mea causa, ut et desiderio plurimorum morem geras, et quod mihi maximae laudi, gloriaeque perpetuae ducam, posteritati nos tibi caros cum primis fuisse, vel hoc indicio planum facias.

2) A mitigatione et excusatione.

Cic. Lib. IX. Ep. IX. Tu, mi Cicero, sic haec accipies, ut, sive probabuntur tibi, sive non probabuntur, ab optimo certe animo ac deditissimo tibi et cogitata et scripta esse judices.

3) A pollicitatione studii, officii.

Muret. Lib. I. Ep. XCIII. A me vero ut posthac omnia officia expectes, quae ab homine amicissimo exspectari possunt, te etiam atque etiam oro.

Idem. Lib. II. Ep. V. Peto a te, ut me ames; neque de mea erga te propensissima voluntate dubites.

RESPONSORIA AD ADHORTATORIAM.

A. *Exordium.* Constat 1) brevi repetitione et laude institutae exhortationis.

Muret. Lib. III. Ep. LXXIV. In proximis tuis literis amor in me tuus, quem quidem jam olim, cum una essemus, abunde perspexeram, ex omnibus partibus clarissime elucet. Quo, ut mirifice officior, ita tibi non frustra polliceri et potes, et debes, te a me in maximo pretio haberi, propter insignes ingenii, eruditionis, pulcherrimarumque virtutum dotes, quibus

in tui amorem et admirationem omnium animos pertraxisti. Quamobrem, si quibus in rebus tibi gratificari potero, scias velim, me nullam de te merendi occasionem unquam praetermissurum.

Putean: Quod adhortaris, ut, qua occoepi ire via, pergam, gratum: et ego pergam, et si nulla, infelicis hujus seculi labe, praemia sunt.

2) Aut ostendatur obsequii propensio, cum dubitatione successus.

Plin. Lib. II. Ep. XIX. Hortaris, ut orationem amicis plurimis recitem; faciam: quamvis vehementer addubitem: neque enim me praeterit, actiones, quae recitantur, impetum omnem, caloremque perdere.

Erasm. Cum ego id ipsum destinassem, addidisti calcar sponte currenti.

Idem. Utinam, quemadmodum addis animum, ita possis et rei successum dare.

Idem. Quamquam ipsa res jam dudum inflammarat animum meum; tamen non mediocre calcar addidit tua tam amica adhortatio.

B. *Propositio.* Approbetur adhortatio; et promittantur ea, quae a nobis requiruntur.

Erasmus. Ut forti militi tutae sonitus ad praelium addit animos; ita tua exhortatio, me satis jam animatum, reddit alacriorem.

Casaubonus Ep. XXIX. ad Scaliger. Hac tua epistola plane alium me, quam prius eram, fecisti: jacentem, inquam, erexisti, et ad audendum deinceps aliquod animos fecisti. Tantum denique alacritatis ad scribendum adjecisti, ut, quicquid mihi unquam respublica literaria debebit, si quid debitura est, id totum uni tibi in solidum acceptum ferri debeat.

C. *Confirmatio.* Rationes afferat, quare adhortationi locum damus.

1) Ab honesto et utilitate adhortationis.

Cic. Lib. II. Ep. XIII. Ego Appium, ut saepe tecum locutus sum, valde diligo; meque ab eo diligi statim coeptum esse, ut simultatem deposuimus, sensi; nam et honorificus in me consul fuit, et svavis amicus, et studiosus studiorum etiam meorum; mea vero officia ei non defuisse. etc.

2) Vel ejus, qui ad nos scripsit amore, fide, autoritate, prudentia etc.

Erasm. Tanti est tua apud me auctoritas, ut te auctore non dubitem etc.

Idem Quidquid scripsisti, habebo oraculi loco.

D. *In conclusione* promittitur, nos moniti amici obsecuturos; et petitur, ut nos deinde commendatos habeat.

Manut. Lib. II. Ep. V. Tu, mi R. fac tibi ita persvadeas, amabiliorem mihi Ferrariam fore tua causa: tuis enim sermonibus, tua humanitate, tuo lepore frui, interruptamque multorum annorum consvetudinem licebit aliquando resarcire. Quod ut sit maxime diuturnum, opto vehementer et, ut tu amantissime auguraris, etiam spero.

4.

SVASORIAE EPISTOLAE.

1. Ex Cicerone. Lib. IV. Epis. X.

A r g u m e n t u m.

M. Marcello Cicero svadet, ut impetrata a Caesare venia mature domum redeat.

Dispositio. 1) *Principium*, institutae scriptionis causas continens. 2.) *Propositio*, svasionem habet: ut quamprimum domum veniat. 3) *Confirmatio*, ab exspectatione suorum, aliorumque omnium, desumptum argumentum complectitur. 4) *Refutatio*, ea quae tardam svadere decessionem videbantur, diluit: a comparatione malorum, visu et auditu perceptorum, reique familiaris emolumento, rationibus petitis. 5) *Conclusio*, rejectione et cohortatione absolvitur: ad rei considerationem diligentem, ac maturam responsionem.

Usus. cum svasores esse amicis volumus: ut, rebus omnibus posthabitis, in patriam et ad suos reditum maturent.

M. T. C. M. Marcello S. P. D.

1) Etsi nihil novi, quod ad te scriberem, habebam, magisque literas tuas jam expectare incipiebam, vel te potius ipsum: tamen, cum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. 2) Cura igitur, ut quamprimum venias. 3) Venies enim, mihi crede, expectatus neque solum nobis, id est tuis; sed prorsus omnibus. 4) Venit enim mihi in mentem subvereri interdum, ne te delectet tarda decessio. Quod si nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre. Sed, cum leviora non multa essent, quae audirentur, quam quae viderentur: suspicarer autem multum interesse rei familiaris tuae, te quam primum venire, idque in omnes partes valere; putavi, ea de re te esse admonendum. 5) Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi; reliqua tu pro tua prudentia cosiderabis. Me tamen velim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Vale.

2. Ex Mureto Lib. I. Epist. LXV.

Argum. Ad pöetas legendos, sed versus non scribendos.

Muretus Alexand. Ripario S.

Versiculi, quos ad me misisti, osteudunt illi quidem, te, si ad Pöeticam ingenium tuum contuleisses, et bonos magistros nactus, in eo studio perstitisses, ad aliquam praestantiam pervenire potuisse. Nam et numerosi sunt, et sententias habent, neque inconcinnas, neque ineleganter collocatas: et ipsum dicendi genus non abhorret a recto. Planeque sperare posses, te aliquando bonum pöetam fore, si hoc agere velles. Sed majora tibi proposita sunt, quae, tantum potes, urgeas, censeo: succisis horis veterum Pöetarum scripta manibus teras: non tam ut imiteris, quam ut eis te oblectes; simulque aliquid ex eis assidue, quod tibi usui sit, colligas. In scribendis versibus tempus a te collocari, verum ut fatear, nolim. Malos versus facere, turpe est: mediocres, inglorium: bonos difficilius, quam ut praestari possit ab iis, quibus aliud agendum est. Quid in tuis lima egeat, praesens praesentem monere possem; per literas non aeque facile possum. Recteque ac vere mihi videtur Ovidius dixisse: emendandi majorem laborem esse, quam scribendi. Mihi hoc credas velim: me hodie non difficilius ad saltandum, quam ad faciendos versus adduci posse. Si quid erit serium, in quo meam operam desideres, non deero: in his levioribus, si quando de me cogitabis, peto a te illud quoque cogites, non multo juniorem esse me, quam erat Horatius, cum illa de se scriberet.— Nunc itaque et versus, et coetera ludicra pono. Vale.

RESPONSORIAE AD SVASORIAS

1. Ex Cic. Lib. IV. Epist. XI.

Argumentum. Ciceroni Marcellus ad superiorem svasoriam respondet: atque ita respondet, ut ejus sese obtemperare consilio, exulandique consilio abjecto, domum redire velle, ostendat.

Dispositio. 1) *Exordium* collavdatione constans officii Ciceronis, et effectus notatione. 2) *Narratio.* Gratias Marcellus Ciceroni, cum pro gratulatione, tum gratiarum actione, ad Caesarem in senatu habita, agit: beneficia, a causa impellente, animo optimo: amicorum raritate: reditus ratione, amplificet. 3) Conclusio gratitudinis pollicitationem habet.

Usus. cum, reditum in patriam svadentibus amicis obtemperare, constituimus.

M. Marcellus M. Ciceroni S. D.

1) Plurimum valuisse apud me tuam semper auctoritatem, cum in omni re, tum in hoc maxime negotio, potes existimare. Cum mihi C. Marcellus, frater amantissimus mei, non solum consilium daret, sed precibus quoque me obsecraret: non prius mihi persvadere potuit, quam tuis est effectum literis, ut uterer vestro potissimum consilio. 2) Res quemadmodum sit facta, verstrae literae mihi declarant. Gratulatio tua, et si est mihi probatissima, quod ab optimo fit animo: tamen hoc mihi multo jucundius est, et gratius; quod in summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui vere meae saluti faverent, te cupidissimum mei, singularemque mihi benevolentiam praestitisse, cognovi. Reliqua sunt ejusmodi, quibus ego, quoniam haec erant tempora, facile et aequo animo carebam. Hoc vero ejusmodi esse statuo, ut sine talium virorum, et amicorum benevolentia, neque in adverso, neque in secunda fortuna quisquam vivere possit. 3.) Itaque in hoc ego mihi gratulor. Tu vero ut intelligas homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi praestabo. Vale.

2.) Libr. XI. Epistola XXIX.

Argumentum. Respondetur Appio, qui Ciceroni svaserat, ut, propter novos, post Caesaris necem, tumultus excitatos, in Graeciam proficisceretur. Dispositio. 1) Exordium, laude et commendatione Appii constans. 2) Confirmatio, quae commo-

morationem et amplificationem beneficiorum Appii habet. 3) Conclusio petitione est et pollicitatione facta. Petit Cicero: ut suum amorem Appius conservet: uberiores eidem literas pollicetur.

Usus, cum respondere amico volumus, qui profectionis suscipiendae autor nobis extitit, ostendere, quam illud nobis consilium et gratum et utile fuerit.

M. T. C. M. Appio S.

1) Dubitanti mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium et consilium tuum. Nam et scripsisti aperte, quid tibi videretur: et Atticus ad me sermonem tuum pertulit. Semper judicavi, in te, et in capiendo consilio prudentiam summam esse, et in dando fidem: maximeque sum expertus cum initio civilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres: eundumne ad Pompejum, an manendum in Italia? Svasisti, consulerem dignitati meae: ex quo, quid sentires, intellexi: et sum admiratus fidem tuam, et in consilio dando religionem; quod, cum aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quam illius voluntas fuit. 2) Equidem et ante hoc tempus te dilexi; et semper me a te diligi sensi: et cum abessem, atque in magnis periculis essem, et me absentem, et meos praesentes a te cultos et defensos esse memini. Et post meum reditum: quam familiariter mecum vixeris, quaeque ego de te et senserim et praedicarim, omnes, qui solent haec animadvertere, testes habemus. 3.) Gravissimum vero judicium de mea fide, et de constantia fecisti, cum post mortem Caesaris totum te ad amicitiam meam contulisti. Quod tuum judicium, nisi mea summa benevolentia erga te, omnibusque meritis comprobato, ipse me hominem non putabo. 4) Tu, mi Appi, conservabis amorem tuum

(et si more magis hoc quidem scribo, quam quo te admonendum putem) meaque omnia tuebere: quae tibi ne ignota essent, Attico mandavi: a me autem, cum paullum otii nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam, ut valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes.

Accedunt collectanea Epistolica hujus generis per omnes epistolae partes in certos locos topicos eruditionis ergo digesta.

A. *Exordium* constat 1) vel laude et commendatione ejus ad quem scribimus.

Erasmus. Quamquam pro tua singulari sapientia ipse per te abunde sapis, amice jucundissime, nec alienis eges consiliis; tamen hoc vel veteri nostrae amicitiae, quae ab ipsis prope cunabulis una cum aetate nobis accrevit, vel tuis summis in me officiis, vel arctissimae denique affinitati debere me putavi si is esse vellem, quem tu me semper existimasti virum et amicum et gratum, ut id, quod ad tuam tuorumque salutem ac dignitatem plurimum interesse judicassem, te libenter ac libere admonerem. Aliena non nunquam rectius, quam nostra perspicimus: tuum consilium meis in rebus persaepe sum expertus, non minus felix, quam amicum. Nunc si vicissim in tuis meum sequi voles, futurum arbitror, ut neque me svasisse, neque te poeniteat paruisse.

2) Aut testificatione nostri studii, curae.

Cic. Lib. X. Ep. I. Illud erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptum non servavi solum, sed etiam auxi, monere te atque hortari, etc.

Plin. Lib. VIII. Ep. XXIV. Amor in te meus cogit, non ut praecipiam, (neque enim praeceptore eges,) admoneam tamen, ut, quae scis, teneas et observes, aut scias melius. Cogita te, missum in provinciam Achajam, etc.

B. *Propositio.* Habeat 1) consilii expositionem. Cic. Lib. X. Ep. VI. Me impulit tui Charitas, ut quamquam nec tibi consilium deesset, et fratris benevolentia fidelisque prudentia tibi praesto esset futura: vellem tamen meae quoque auctoritatis pro plurimis nostris necessitudinibus praeceptum aliquod ad te pervenire etc.

2.) Aut commendatione eorum, quae suadentur. Cic. Lib. IV. Epist. VII. Summa tua erga me benevolentia, quae mihi jam, pueritia tua cognita est, me hortata est ut ea scriberem ad te, quae et saluti tuae conducere arbitrarer, et non aliena esse ducerem a dignitate. Ego cum te esse, qui horum malorum initia etc.

C. *In Confirmatione* Argumenta sumuntur 1) ab honesto.

Erasm. Nam primum hac in re, site honesti ratio movet, quae apud probos valere debet plurimum, quid honestius quod:- - - quid sanctius quod:- - - quid laudabilius - - - quid aequius quam etc.

2) Ab utili.

Plin. Lib. III. Epist. III. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, nisi profuturum: nihil discet, quod nescisse rectius fuerit.

3) A necessario.

Erasmus. Sed quid nos de honesto ac jucundo disputamus, cum non utilitas modo svadeat, verum etiam necessitas postulet etc. Tolle studia literarum; tum barbaries existat necesse est.

4) A praemiis.

Erasmus. Romanae leges eos, qui caelibes essent, damno etiam mulctabant, a reipublicae muneribus excludebant: at qui liberis rempublicam auxissent, eis tanquam benemeritis praemium e publico statuebant.

5) A turpi.

Plin. Lib. VIII. Epist. XXIV. Cum sit alioqui, ut saepe legisti, multo deformius amittere, quam non assequi laudem.

6) A communi consilio.

Cic. Lib. IV. Ep. VII. Hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna pro tuis maximis clarissimisque virtutibus multitudo.

7) A circumstantiis temporis.

Buchn. Ep. XLIX. Interim tamen serviendum tempori; et huic tempestati ac fluctui obluctari, temerarium prorsus est.

8) Loci.

Plin Lib. VIII. Ep. XXIV. Habe ante oculos, hanc esse terram, quae nobis jura miserit, quae leges non victa acceperit, sed petentibus dederit; Athenas dico etc.

9) Vel exemplo nostro, aut aliorum.

Cic. Lib. I. Epist. VII. Scribo, ut te admoneam, quod ipse literis omnibus a pueritia deditus, experiendo tamen magis, quam discendo cognovi, id tu rebus tuis integris discas.

Erasm. Quod si auctorem quaerimus matrimonii; non a Moyse, non a Lycurgo, nec a Solone; sed ab ipso summo rerum omnium opifice etc.

10) Vel a studio, disiderio cognatorum.

Erasm. Cum rogent amici, instent propinqui, hortentur affines, patria etiam flagitet; tu tamen adhuc dubitas etc.

D. *Conclusio* absolvitur 1) praecisione.

Cic. Lib. IV. Ep. 10. Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis: me tamen velim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Vale.

2) Officiorum pollicitatione.

Cic. Lib. I. Epist VI. A me omnia summa in te studia, officiaque exspecta; non fallam expectationem tuam.

3) Aut voto, ut Deus approbet.

Plin. Lib. III. Ep. III. Proinde, favente Deo, trade eum praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur. Vale.

RESPONSORIA AD SVASORIAM.

A. *Exordium.* Sit laus et commendatio amici.

Cic. Lib. X. Ep. IV. Tua Consilia mihi non magis prudentiae plena, quae summa est, videntur, quam fidelitatis; quam ego ex conscientia mea metior.

Idem Lib. XI. Ep. XXIX. Supra commemorata.

B. *Propositio.* constet expositione et promissione obsequii.

Cic. ad Attic. Lib. I. Ep. XVII. Quod ad me de republica scribis; disputas tu quidem amanter et prudenter, et a meis consiliis ratio tua non abhorret.

Idem. ibid. Lib. VIII. Ep. XIII. Ut, quodcunque tu consilium praecepisses, id nobis persequendum putaremus.

C. *In confirmatione* rationes afferantur, cur consilio obsequamur.

1) Amici adhortatione et voluntate.

Cic. Lib. XI. Ep. XXIX. Vide supra.

2) Exemplis aliorum.

Cic. Lib. II. Ep. XVI. Etenim memini, in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum Hortensium, quod nunquam bello civili non interfuisset. Hoc nostra laus erit illu-

strior, quod illi tribuebatur ignaviae: de nobis id existimari non arbitror. Nec me ista terrent. etc.

D. *Conclusio* absolvitur 1) gratiarum actione et pollicitatione grati animi.

Cic. Lib. IV. Ep. XI. Tu vero ut intelligas homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi praestabo. Vale.

2) Aut petitione, ut res nostras sibi commendatas habeat.

Cic. Lib. II. Ep. XVI. Te tamen oramus, quibuscunque erimus in terris, ut nos, liberosque nostros ita tueare, ut amicitia nostra, et tua fides postulabit. Vale.

3) Promissione studii in exequendo consilio.

Plin Lib. I. Ep. I. Superest, ut nec te consilii, nec me poeniteat obsequii.

Obs. Hortatoriae differunt a svasoriis, quod in svasionibus sit quaedam dubitatio ac controversia; in hortationibus autem incitatio quaedam et inflammatio.

5.

CONSOLATORIA EPISTOLA.

Ex Cicer. Lib. IV. Epistola V.

Argumentum. Ob obitum filiae suae Tulliae lugentem Ciceronem consolari et a moerore avocare Servius Sulpitius conatur.

Dispositio. 1) *Exordium* significatione doloris ac moeroris constat, ex obitu Tulliae filiae Ciceronis percepti. 2) *Propositio* occupationem et expositionem causarum institutae conso-

lationis habet. 3) *In confirmatione* consolationis argumenta adferuntur, petita, a comparatione ereptorum bonorum: temporis, quo ex hominibus Tullia abiit, conditione: remotione eorum, quae ad vivendum invitare illam poterant: exemplo et eversione nobilissimarum civitatum: clarissimorum virorum interitu: Imperii diminutione: statu provinciarum: necessitate moriendi; vita Ciceronis anteacta: officio viri sapientis in superando dolore: pietate in demortuam filiam, amicos familiares, patriam: periculo judiciis aliorum. 5) *Conclusio* praecisione, repetitione, pollicitationeque absolvitur, praecidit consolationem Sulpitius, ne diffidere prudentiae Ciceronis videatur: argumentum ab anteacta vita ejusdem repetit, de rebus, quae in provincia gerantur scripturum sese ad Ciceronem pollicetur.

Usus. Cum amicum, liberorum suorum obitum moerentem consolari atque erigere volumus.

Servius Sulpitius M. T. C. S.

1) Posteaquam mihi renunciatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo, ac debui, graviter, molesteque tuli communemque eam calamitatem existimavi: qui sic istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Et si genus hoc consolationis miserum atque acerbum est: propterea; quia per quos ea confieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lacrimis multis id conari possunt: ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium praestare. 2) Tamen quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere; non quo ea te fugere existimem: sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. 3.) Quid est; quod tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? Cogita quemodmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi cara esse debent: patriam, honestatem, dignitatem, hono-

res omnes: hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit? Aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet, atque omnia minoris aestimare? an illius vicem, credo doles? quoties in eam cogitationem necesse est, et tu veneris, et nos saepe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario conjuncta aetatem gereret? licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos, tuos, te tuto committere putares. An ut ea liberos ex sese pareret, quos cum florentes videret, laetaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri in Repub.? in amicorum negotiis liberalitate sua uterentur? Quod horum fuit, quod non prius, quam datum est, ademptum sit? At vero malum est liberos amittere. Malum nisi hoc pejus sit, haec sufferre, et perpeti. Quae res mihi non mediocrem consolationem adtulit, volo tibi commemorare: si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circum circa prospicere: post me erat Aegina: ante Megara: dextra Piraeeus: sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos hominculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant: vis ne tu te, Servi, cohibere, et meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt: de Imperio praeterea tanta diminutia facta est: omnes provinciae conquassatae sunt: in mulierculae

animula, si jactura facta est, tanto opere commoveris! quae si hoc tempore non diem suum obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuisset: quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ad cogitationem tuam avoca atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam, quamdiu ei opus fuerit, vixisse, una cum Republica fuisse: te patrem suum, Praetorem, Consulem, Augurem vidisse: adolescentibus primariis nuptam fuisse: omnibus bonis prope perfunctam esse. Cum Respublica occideret, vita excessisse, Quid est, quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consveris „praecipere, et dare consilium:„ neque imitare malos medicos, „qui in alienis morbis profitentur, tenere se medicinae scienti„am, ipsi se curare non possunt: sed potius, quae aliis tute „praecipere soles, et tute tibi subiice, atque apud animum pro„pone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis mi„nuat, ac molliat.„ Hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quod si qui etiam in feris sensus est: qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae: da coeteris amicis, ac familiaribus, qui tuo dolore moerent: da patriae, ut, si qua in re opus sit, opera, et consilio tuo uti posset. Denique quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam Reipublicae tempora, et aliorum victoriam lugere. 4) Plura me ad te hac de re scribere pudet ne videar prudentiae tuae diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci; fac aliquando intelligamus, adversam quoque fortunam te aeque ferre posse, neque id majus, quam debeat, tibi onus videri, ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse:

Quod ad me attinet, cum te tranquilliorem animo esse cognôro, de iis rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se provincia habeat, certiorem faciam. Valc.

RESPONSORIA AD CONSOLATORIAM

Ex Cicer. Libr. IV. Epistola VI.

Argumentum. Superiori proximae Servii Sulpitii consolatoriae hac Cicero in epistola respondet: levationem inde sensisse se aliquam, non tamen moerore plane liberatum scribit. Sulpitium hac de causa rogat, sese ut conveniat.

Dispositio. 1) *Exordium* commendationem consolatoriae Epistolae Servii Sulpitii: officiorum, ejusdem filiae laudationem continet. 2) *Propositio* consolationis adhibitae partim comprobationem partim remotionem, et querelam de adversa fortuna habet. 3.) *Confirmatio* est, in qua argumenta adferuntur: cur a moerore, luctuque recedere prorsus, et Sulpitii locum relinquere consolationi Cicero nequeat: desumpta similitudine exemplorum: remotione eorum, quae tollere, aut saltem sedare dolorem posse videntur. 4.) *Conclusio* petitione constat. Rogat Sulpitium Cicero: ut quam primum possit ad sese veniat: et hujus suae petitionis rationes atque causas adferat.

Usus, cum in liberorum nostrorum obitu adhibitis consolationibus respondere: doloris causas recensere singulares: petere ab amico volumus, ut celeriter nos, primoque tempore conveniat.

M. T. C. S. P. D. Servio Sulpitio.

1) Ego vero, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantum enim praesens me adjuvare potueris et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod, literis lectis, aliquantum acquievi. Nam et ea scripsisti, quae levare luctum possent, et in me consolando non medi-

ocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quae illi tempori tribui potuerunt, declaravit, et quanti ipse me faceret, et quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora scilicet saepe mihi fuerint, nunquam tamen gratiora. 2.) Me autem non oratio tua solum, et satietas poenae aegritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum ut, tu, tali sapientia praeditus, ferendum putas. 3) Sed opprimor interdum, vix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quae coeteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, magnis rebus gestis, amisit: et L. Paulus, qui duo septem diebus: et yester Gallus, et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex Republica consequebantur. Mihi autem, amissis ornamentis iis, quae ipse commemoras, quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non Reipublicae procuratione impediebantur cogitationes meae: nihil in foro agere libebat: adspicere curiam non poteram: existimabam, id quod erat, omnes et industriae meae fructus, et fortunae perdidisse. Sed, cum cogitarem, haec mihi tecum, et cum quibusdam esse communia: et cum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter, habebam quo fugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone, et svavitate omnes curas, doloresque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quae consenuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ut tu me, a Republica moestum, domus excipiebat, quae levaret: sic nunc domo moerens ad Rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis aquiescam. Itaque domo absum, et foro, quod nec eum dolorem, quem e Republica capio, domus jam consolari potest, nec domesti-

cum Respublica. 4) Quo magis te exspecto, teque videre quam primum cupio. Major mihi levatio adferri nulla potest, quam conjunctio consvetudinis, sermonumque nostrorum: quamquam sperabam, tuum adventum (Sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cum multis de causis te exopto quam primum videre: tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius voluntatem accommodandum, et prudentis, et liberalis, et (ut perspexisse videor) nec a me alieni, et tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magnae est tamen deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid; sed illius, concessu et beneficio quiescendi. Vale.

Accedunt collectanea Epistolica hujus generis per omnes Epistolae partes in certos locos topicos eruditionis gratia digesta.

A. *Exordium.* fit 1.) demonstratione doloris ex casu amici.

Buchner. Ep. XXXVI. Dici non potest, quam me confuderit nuncius, qui diebus superioribus de obitu in comparabilis soceri tui afferebatur: non modo quod amisissem eum Patronum, cui debebam, quantum deberi illi potest, cui uni omnia referas; sed patriae et literarum maxime causa, quibus in eo ingens columen praesidiumque ademptum est.

2.) Extenuatione ingenii in consolando.

Cicer. Lib. IV, Ep. V. supra commemorata.

3) Vel amoris, benevolentiae, studii, officii commemoratione.

Cicer. Lib. VI. Ep. V. Res et fortunae tuae mihi maximae curae sunt; quae quidem quotidie faciliores mihi et meliores videntur, multisque video magnae esse curae: quorum de studio, et de sua spe. etc.

4) Aut deprecatione, ne propter literarum tarditatem, atque intermissam consolationem, amicum deseruisse videamur.

Buchner. Ep. CLXXXVII. Ingens vulnus tuum, amplissime vir, quod uxoris obitus inflixit, ex literis N. N. accepi. Afferre solatium et medentes voces, serum esset nimis: et per quam verendum est, ne idem mihi accidat, quod Iliensium legatis, qui paulo serius consolantes, quasi obliterata jam doloris memoria esset, a Tiberio irridebantur.

5.) Nunc saepius malis conflictatur amicus.

Lips. Centur. I. Ep. LI. Ipsum pectus mihi commovit series malorum, quae es passus. Heu homines, quid sumus? Quid speramus? sed benigno Deo gratia, qui concussit te, non dejecit: ostendit vulnus, et non impressit.

6.) A fragilitate hominum.

Lips. Cent. IV. Miscell. XLVIII. Admiratio simul et dolor me invaserunt, cum de inopinato obitu Soceri tui et amici nostri, intellexi. Heu, quid homines sumus? quam fragilis materia, ut levi casu rumpenda? Profecto exempla ista cum e proximo incurrunt, et nos feriunt, merito animum ad conditionem et cognitionem sui advocant, et quam totum hoc vivere lubricum si, breve, nihil.

B. *Propositio* fit 1) Adhortatione, ne aegre nimisque moleste ferat casum.

Cicer. Ad Quint. Fr. Lib. I. Ep. I. Quamobrem hoc te primum rogo, ne contrahas, aut demittas animum; neve te obrui tanquam fluctu, sic magnitudine doloris sinas: contraque erigas, ac resistas, sive etiam ultro occurras dolori.

2.) Aut pollicitatione melioris fortunae.

Lips Cent. III. ad Belg. Ep. V. Quis negabit iuste te dolere? natura et mos ita jubent, aut permittunt: sed jacere te et affligi negamus et dissvademus. Tolle ad alta oculos etc.

3.) Aut excusatione, quad non possumus consolari.

Lips. Cent. Miscell. Ep. XX. Itaque hoc ipso video, valde me a te amari, quod ad me scribas, et tacite solatium aliquod petas. Utinam dare possim! ut volo, mi N. si non pulsus dolor tuus, certe fractus esset, et talis, a quo periculum non esset, viro forti.

C. *Confirmatio.* Rationes habeat, quare mala fortiter ferenda.

1.) A causa efficiente.

Cic. Lib. VI. Ep. VI. Levat enim dolorem communis quasi legis et humanae conditionis recordatio. Exponerem etiam etc.

Buchner. Ep. CXXVII. Sed cogitabis communem Legem, cui omnes sumus obstricti. Cogitabis Deum, et providentiam ejus, in qua acquiescere placide, primum Christiani hominis officium est. Quicquid in nos statuit Deus, ita statuit, non ut malo afficiat, sed ut prosit et servet. Medentium in morem, qui amara propinant, non ut faciant aegre, sed ut sanent.

Lips. Centur. II. ad Belg. Ep. XXVIII. En solatium! Deus facit, Deus tollit. Quid mortalis o! homo obstrepis, et voces aut lamenta spargis! quin scito, nihil ab eo, nisi tempestive, nisi utiliter, et ex salute nostra fieri. Certe Christiani sic edocti sumus, vitam hanc esse carcerem, peregrinationem, miseriarum abyssum. Quid ergo querelis prosequimur, quod votis debebamus?

2) Vel conscientiae bonitate, et culpae vacuitate.

Cicer. Lib. VII. Ep. 3. Vacare culpa magnum est solatium: praesertim cum habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, et maximarum rerum gloriam; quarum altera mihi vivo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem.

Erasm. Tibi recti conscientia et bonorum judicium pluris esse debet, quam invidorum hominum sermo.

3) A societate malorum et aliorum exemplis, qui eadem passi.

Lips. Centur. II. ad Belg. Ep. XXVIII. Atqui privari jucundissimo et familiari eo aspectu. grave est, disjungi, a parte nostri sangvinis. Hi sunt affectus paterni, non nescio, aut nego. Sed ratio, quae homini propria, quid dicit? non novum esse: legem communem, quam alii subierunt ante nos, nobiscum subeunt, post nos subibunt. Quot parentes orbos vidisti? aut vides? et quidem omni stirpe ac prole. Ecce tibi benignus Deus alterum ramum servat.

4.) Aut spe melioris sōrtis.

Cic. Lib. I. Epist. V. Tu fac animo magno fortique sis, speresque fore, ut fracto impetu levissimi hominis, tuam pristinam dignitatem et gloriam consequare.

5.) Exemplis aliorum.

Erasm. Uti viros magnos imitari pulchrum; ita turpissimum sit, non praestare viros eum animum, quem feminae praestiterunt.

Id. Nusquam animo deijci sapientis est. At in his casibus, quibus ex aequo, maximi pariter ac minimi sumus obnoxii, omnes dolere immoderatius, extremae vecordiae mihi videtur esse.

6.) Ab inutili.

Erasm. Iam vero, si quis rem recta reputet via, an non dementiae species esse videtur, ultro malum malo addere; et cum jacturam nulla ratione sarcire possis, tamen ultro tibi perniciem arcessere. Perinde ut si quis ab hoste, non nulla facultatum parte spoliatus, quicquid reliquum est, id omne iratus in mare deijciat.

Item. Quis tam demens, ut cuiquam supplex esse velit, quem certo sciat precibus non commoveri. At morte nihil inexorabilius, nihil surdius, nihil rigidius.

7.) Uel studiis, officiis, auxiliis amicorum.

Cic. Lib. IV. Ep. XIII. Coetera, quae tibi a multis promta esse certo scio, a me sunt paratissima: nihil in re familiari mea est, quod ego meum malim esse, quam tuum.

8.) Vel extenuatione amissi boni.

Lips. Cent. I. Ep. LXI. Quid enim haec vita, quam eripi lugemus? Ludibriorum scena, miseriarum mare, per quod ut maxime exvoto tibi feratur navis, tamen in multos scopulos impingas, multis vadis obhaerescas, necessum est. Quid ipsa mors, quam timemus? requies, gaudium, et vera vita: aut si quid in ea mali, malis tantum.

9.) A malis, periculis impendentibus.

Lips. Centur. III. ad Belg. Ep. V. Atque age, non sit haec lex data: vide quo descendam, ego audacter dixerim, poscendam a Deo esse. Vide miserias hujus vitae, serio inquam vide et examina; mala quae corpori, quae animo adhaerent, quae in nobis, in liberis, in cognatis, aliisque sentimus, vel audimus, dic sodes, juvet inter ista immortalem esse? ego felices sentio, qui quam celerrime venerunt ad portum.

10.) Ab aetate provecta.

Lips. Cent. Miscell. Ep. VI. Ipse in aetate quoque jam pessima, et non senex, sed senjor, cum illud Lucretii locum habere incipit: „Claudicat ingenium, delirat lingvaque mensque.„

11.) Aut mortui conditione.

Lips. Cent. Miscell. Ep. VI. Addo, quod caput est, mortuum pie, et in sano de religione, et Deo sensu. Itaque ne mortuus quidem, sed terra his relicta, et terrae reddita; Ipse immortalis in coelum migravit, ad immortalem illum Patrem.

Haec te solentur. Nec absentiam ejus cogita, quin una ubi sit, cogites: et, si pius es, in aeterno ejus gaudio gaude.

Ibid Ep. XX. Votis, votis prosequendus est, cum abivit, ut feliciter et ad supera illa ierit. Non querelae interponendae. Quid eum in vita teneat, aut juvet.

D. *Conclusio.* Absolvitur 1) Pollicitatione voluntatis, studii, officii.

Cic. Lib. IV. Ep. XIII. Ego quae pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia diligentissimeque curabo: tuorum que tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo.

Lips. Cent. Miscell. Ep. XXIX. Sed enim iste eminere genio et ingenio videbatur. Credo equidem; et hoc ipsum est, cur hic non perennarit: quia Deus ille Optimus, optima fere ad se trahit. In superis beatisque locis filius tuus agit: dubitare non potes. Dolere igitur non debes, gaudere potius, si ipsum et bona ejus amas.

Id. Cent. II. ad Belg. Ep. XXVIII. Ille obiit? a vinculis ad libertatem ivit. Obiit? a curis et angoribus ad gaudia, uti speramus. Obiit? absolvit iter, decurrit stadium, palmam et coronam habet. Quisquis luget, videat, ne ab invidente propior sit, quam ab amante.

2.) Aut adhortatione ad animi magnitudinem.

Lips. Centur. I. Ep. LXI. Miserabili, inquis, genere mortis periit, et quod luctu municipium omne nostrum complevit. Scio, et affectu et aspectu ipse misereor: sed hic quoque paullum te attolle, et secerne a vulgo. Quid illud miserabile, cum omnia circumspexeris mori? varia ad illam metam via fert, clivosa, plana, brevis, longa, eadem tamen omnibus quies, cum pervenere.

3.) Aut a repetitione argumentorum.

Cic. Lib. V. Ep. XVIII. Omnibus his de causis, debes istam molestiam quam lenissime ferre.

4.) Aut promissione pristinae sortis.

Cic. Lib. VI. Ep. XIII. Sed ut ad initium revertar, cave dubites, quin omnia de salute, ac reditu tuo perfecta sint. Vale.

RESPONSORIA AD CONSOLATORIAM.

A. *Exordium.* Contineat 1) Laudem, et commendationem amici et collati beneficii.

Manut. Lib. III. Ep. XLIII. Habeo, quod petieram: sedasti animum meum consolatione, consilio juvisti. Nihil sapientius, nihil humanius epistola tua: et cum multa sunt a te gravissime atque ingeniosissime commemorata; tum vero mirifice sum exemplo tuo commotus etc.

2.) Aut voto melioris fortunae.

Schurtzfless Ep. XXII. Convalui a morbo, qui me nuper affixerat lecto: bonae mentis tuae argumentum fuit, quod doluisti meam vicem. Ego sane opto, ut nunquam doleam tuam. Sospitet te Deus et servet.

3.) Gratiarum actione pro solatio.

Cic. ad Attic. Utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias, quod me vivere coëgisti.

B. *Propositio.* Approbet consolationem, et promittat se obtemperaturum.

Cic. Lib. XI. Ep. VII. O multas et graves offensiones! quas quidem, tu das operam, ut lenias; nec tamen nihil proficis: quin hoc ipso minuis dolorem meum, quod, ut, minuas, tam valde laboras; idque velim ne gravere quam saepissime facere.

C. *Cofirmatio* 1) repetat argumenta, quibus amicus nos solari conatus est.

Cic. ad Attic. Lib. XIV. Ep. XIII. Nos autem id videamus, quod in nobis ipsis esse debet, ut, quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus.

2) A studiis.

Cicer. ad Fam. Lib V. Ep. XV. Sic literis utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam doloris oblivionem petam.

3) A mali brevitate.

Cic. ad Attic. Lib. V. Ep. II. Haec mihi non exigua consolatio hujus ingentis molestiae est, quod spero, non longiorem annua fore.

4) A conscientiae bonitate.

Cic. Lib. XII. Ep. XXVIII. Mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo.

D. *Conclusio* contineat gratiarum actionem.

Manut. Lib. III. Ed. XLIII. Tantum agam gratias de ista tam in me propensa voluntate, excellentique industria: quarum alteram longitudo literarum tuarum, alteram elegantia declarat.

6.

GRATULATORIAE EPISTOLAE

I. Ex Cicer. Libr. XV. Epist. VIII.

Argumentum. Gratulatur C. Marcello Cicero de consulatu: rogat eundem: ut absentem sese amet ac tueatur.

Dispositio. 1) *Exordium,* significatione laetitiae ac voto constans. 2) *Confirmatio* institutae gratulationis argumenta continet, a Marcelli in se amore ac benevolentia: ejusdem parentum beneficiis petita 3) *Conclusio* petitionem habet: ut absentem Ciceronem Marcellus diligat ac defendat.

Usus, cum de dignitate amico gratulàri: nos, nostraque commendare cupimus.

M. T. C. Procon. C. Marcello Cons. S. P. D.

1) Maxima sum laetitia affectus, cum audivi, te consulem factum esse: eum honorem tibi Deum fortunare volo, atque a te, pro tua, parentisque tui dignitate administrari. 2.) Nam cum te semper dilexi amavique, quod mei amantissimum cognovi, in omni varietate rerum mearum; tum patris tui pluribus beneficiis, vel defensus tristis temporibus, vel ornatus secundis: et sum totus vester, et esse debeo: cum praesertim matris tuae, gravissimae atque optimae foeminae, majora erga salutem, dignitatemque meam studia, quam erant a muliere postulanda, perspexerim. 3) Quapropter a te peto majorem in modum, ut me absentem diligas, atque defendas. Vale.

2) Gratulatur N. de gradu Professoris Consecuto.

1) *Exordium.* ab ipsa occasione scribendi desumptum.

2) *Narratio sev propositio* primaria, quae per totam regnat epistolam. 3) *Confirmatio.* a muneris Professorii praestantia: a gloria, e munere isto exspectando. 4) *Conclusio* svasoria et votiva.

Usus, cum alicui gratulamur de novo dignitatis gradu consecuto.

1) Quum de futura arboris proceritate ex ipsa frutice liceat augurari; sane ego te jam inde a tua pueritia suspexi, praedixique multis, talem te futurum, qualem cognitum, ducto

ex praeclara indole argumento, indicaveram. Id vero augurium de te meum exitu nunc comprobatum video, postquam consentientibus celsissimorum nutritorum suffragiis docendi tibi munus in florentissima Universitate. - - - - - - demandatum est.

2) Quare non possum non utrique nostrum jure gratulari: tibi, qui spartam nactus es, praeclara illa virtute tua, ac parta tot vigiliis doctrina dignissimam: mihi vero, qui de futura felicitate dignitateque tua tam vere conjeci. 3) Professor es, optabile ac honorificum! Quaenam enim praeclariores, quaenam te digniores curae esse possent, quam perpolitae ingenia, exponere eruditionis thesauros, et quotidie expromere aliquid atque effingere, quod ad ornanda honestarum artium studia pertineat? Quid praestantius illo munere, quo cum laude atque ex fide functus non uni alicui civitati, id quod in se honorificum est, sed toti Provinciae atque universae Germaniae novas subinde doctisimorum juvenum colonias submittes! Habes profecto nunc N. campum, in quo tua virtus atque inusitata eruditio excurrat. Pietatem praecipue colere, exemploque ostendere id, quod doces, posse fieri: excubare animo pro salute ac dignitate celeberrimae Universitatis: docendo disputandoque Juvenes quotidie reddere doctiores: nihil omnino facere, nihil scribere, nihil cogitare, in quo statim decus non eluceat, hoc demum erit, mihi crede, tuum officium, hic labor, haec illae praeclarae cogitationes, quae in eam, quam sustines, spartam ita cadunt, ut sine summo dedecore ab illa sejungi haud posint. Magna haec quidem sunt ac laboriosa, fateor, verum etiam tanto praeclariora, sempiternaque cum gloria conjuncta. Erit enim aliquando tempus, quo mille tibi decretas statuas non sine voluptate intelliges. Quotcunque enim tuis auspiciis ad veram sapientiam ac doctrinam pervenerint, totidem tibi ipse viva ac spirantia gloriae tuae simulacra consecrabis. Atqui haec etiam tunc immortalem te praestabunt, quum vitae hujus perfunctus munere

cum beatissimo illo coelestium animorum coetu conjungeris. 4) Quapropter macte hac virtute, macte hoc animi impetu, tuique etiam in hoc vitae genere esto quam simillimus. Ego id unum exopto. ut qui te in hac statione collocavit, (collocavit autem summus rerum arbiter, Deus,) idem faveat porro muneribus suis, novoque isti honori addat perpetuitatem. Vale.

Accedunt Collectanea Epistolica hujus generis per omnes epistolae partes in certos locos topicos eruditionis ergo digesta.

A. *Exordium* 1) occasio institutae gratulationis.

Erasm. Incredibilem animo laetitiam cepi, quum te summo collegii consensu Praesulem creatum esse intelligo. Gaudeo, aliquando eum honorem tibi ultro delatum esse, quo tu te semper dignissimum praestitisti: nec tibi tantum gratulor, qui honore isto (quanquam tuis moribus, tuae eruditioni debito) non multum delectaris; sed multo magis patriae gratulor, quae etc.

2) Aut gratulatione et significatione laetitiae.

Erasm. Nuncius neque optatior, neque jucundior adferri potuit, quam qui nuper est de nova dignitate tua allatus.

Id. Cave putes te ipsum ex ista tua fortuna plus cepisse voluptatis, quam ego ex tuis literis ceperim, quae me de nova dignitate tua certiorem fecerunt.

3) Aut occupatione.

Plin. Lib X. Ep. I. (Gratulatur Trajano Imperatori). Tua quidem pietas, Imperator sanctissime, optaverat, ut quam tardissime succederes patri; sed Dii immortales festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula Reipublicae, quam susceperas, admovere:

4) Aut excusatione serae gratulationis.

Cic. Lib. II. 7. Sera gratulatio reprehendi non solet; praesertim si nulla negligentia praetermissa est; longe enim ab-

sum, audio sero. Sed tibi et gratulor, et ut sempiternae laudi etc.

Sodolet. Lib. VI. Ep. IV. Accidit propter mea plurima incommoda, maximasque omnium rerum difficultates, ut ab hoc scribendi officio usque ad hunc diem fuerim retardatus. Gratulor igitur tibi, vereque et ex animo gratulor.

B. *propositio* 1) vel nudam habet gratulationem.

Cic. Lib. VI. Ep. XII. Qua in re tibi gratulor ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias age malim: alterum omnino non desidero, alterum vere facere poteris etc.

Sadolet. Lib. IX Ep. IV. Gratulor igitur tibi, et ex animo gratulor, quod tum honore isto, quo es affectus, tum etiam spe, quam de te eximiam summae virtutis praebes, magnum in te praesidium et ornamentum aetas nostra habitura esse videatur.

2) Vel votum, ut res prospere eveniat.

Cic. Lib. II. Ep. VII. Sed et tibi gratulor, et, ut sempiternae laudi tibi sit iste tribunatus, exopto; teque hortor, ut omnia gubernes etc.

Plin. Lib. X. Ep. LXXXIX. Opto, Domine, et hunc natalem, et plurimos aliosquam felicissimos agas, aeterna que laude florentem virtutis tuae gloriam et incolumis et fortis aliis super alia operibus augeas.

3) Vel adhortatione, ut amicus omnia prudenter moderetur.

Cic. Lib. II. Ep. VII. Teque hortor, ut omnia gubernes, et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui tibi sapientius svadere possit te ipso: nunquam labere, si te audies.

C. *Confirmatio*, argumenta habet gratulationis.

1) Vel a re ipsa, de qua gratulamur.

Plin. Lib. VI. Ep. XXVI. Domus patricia, Pater honestissimus, Mater pari laude. Ipse (sponsus scilicet) est studiosus, literatus, etiam disertus.

Manut. Lib. I. Ep. I. Cardinalis es, optabile et honorificum: sed est in isto honore pondus et labor. Cadunt in eam, quam nunc sustines, personam virtutes omnes, atque ita cadunt, ut, si absint, is, qui honor est, honor esse desinat, vel sit etiam summa deformitas.

2) A meritis.

Plin. Lib. II. Ep. VII. Nam tibi a Senatu triumphalis statua decreta est: non ita ut multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam tubarum sonum, nisi in spectaculis, audiverunt: verum ut illis, qui decus illud, sudore et sanguine et factis assequebantur.

3) Vel ipsius rei conditione.

Cic Lib. XII. Ep. XIII. Est enim tua toga omnium armis felicior, quae nunc quoque nobis poene victam Rempublicam ex manibus hostium eripuit ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maxime civis, et mihi charissime, id quod maxime civis, et mihi charissime, id quod maxime Reipublice tenebris comperisti, nunc te habebimus testem nostri amoris etc.

4) Ab expectatione.

Manut. Libr. I. Ep. II. Nemo enim dubitat, quin eum, qui te nunc honor ornat, honorem aliquando sis ornaturus, eximia tua gloria, bono publico conjuncta; quo te hortari res ipsa non patitur.

5) A testimonio nostro et aliorum.

Plin. Lib. V. Ep. XV. Tum ego, qui vir et quantus esset, altissime inspexi, cum sequerer ut magistrum, ut paren-

tem vererer: quod non tam aetatis maturitate, quam vitae, merebatur.

D. *Conclusio.* 1) Repetitione gratulationis.

Sadol. Lib. IX. Ep. IV. Confido, cunctorum te opinioni et votis plane satiffacturum esse: quod ut ita eveniat, tibique iste honos sempiternae et laudi, et felicitati sit, Deum eundem supplex omnibus precibus rogo atque oro.

2) Aut adhortatione.

Manut. Lib. I. Ep. I. Resume animum, atque hunc infimum, gradum putato. quo conscenso, celeri passu ad summum, quo te tua merita invitant, properato.

3) Corrigendi exhortatione.

Manut. Lib. IV. Ep. XXIX. Haec si tibi omnia, ut spero, ante oculos pones, vinces te ipsum in diligentia, operamque dabis, ut egregium virtutis, et industriae tuae monumentum relinquas. Vale.

4) Aut voto.

Erasmus. Quae res precor, ut primum tibi, deinde gregi tuo, denique et nobis omnibus vertat bene. Me totum, quantus quantus sum, ad tuum obsequium offero.

Sadol. Lib. VI. Ep. IV. Tantum a Deo immortali est postulandum, ut tibi istum honorem fortunet, et perpetuae felicitati jubeat esse, quod nos summa cum benevolentia et amore erga te eundem ipsum Deum supplices precamur.

GRATULANDI NOVUM ANNUM.

A. *Exord.* 1) Ab officio nostro.

Schurtzfl. Ep. XXX. Et tempus, et beneficia tua me admonent, ut cum officium clientis tibi, tum vota pro te, pro sanctissimo nomine, pro tuaque illustrissima gente ad Deum faciam.

2) Aut a voto.

Schurtzfl. Ep. XXIX. Bene vertant Kalendae Januariae, quae propediem te exspectant: optant sane hoc Musae nostrae, et summis precibus Deum orant, ut et salvum te praestet et felicem.

3) Aut a beneficiis patroni.

Schurtzfl. Ep. CXCVI. Cum multa abs te beneficia acceperim, Domine, tum sentio, me omnium fortunarum ornamenta tibi debere; probas enim studiorum nostrorum rationes, et foves patrocinio singulari, ut sperent, quo auctore coeperunt, eodem adjutore florere posse.

Id. Ep. DXLVII. Si beneficia tua possem exaequare stilo, contenderem cum disertissimis, ac intenderem ad tuas laudes ex merito praedicandas. Nunc cum ea fiducia me distituat, praesidium non in genere scribendi, sed in pietate ponam.

4) A consvetudine tua.

Schurtzfl. CVIII. Ep. Quod ab eo tempore, quo me in admirationem tuarum virtutum convertisti, constitutum habui, ut quotannis tibi felices Kalendas Januarii precarer, id ne nunc quidem intermissum volo, cum ut obsequia mea perspicias, tum ut intelligas non remitti, sed augeri pietatem meam; cujus summa est. Vide infra conclus.

5) A consvetudine veterum.

Rupertus. Illuxit singulari Dei gratia dies, quem auspicatissimum semper existimarunt veteres. Talem tibi totum hunc annum precor.

Morhoff. nomine Collegii eruditi. Felicibus auspiciis, Princeps Serenissime, rursus veteri anno finem imponimus, novum que exordimur: quo in primis tempore ut ex antiquissimo omnium gentium ritu solent fervere omnium studia, ita nos quoque, ne officii nostri immemores videamur, omnia tibi bona

hoc ex initio auguramur, nosque ad anni hujus felicitatem componimus.

B. *In propositione* gratulatio continetur.

Buchnerus. Ep. LIX. Gratulor itaque, Patrone, quod sic finieris annum proximum, ut conjugem pignoraque tua salva teneas, ut rem et familiam universam.

Schurtzfl. CXCVI. Itaque et approbare tibi suam pietatem volunt et sempiterna obsequia testari. Praesertim hoc tempore, quo praeteriti anni memoriam renovamus, et suo quisque cliens domino precamur, ac, ut humillimae observantiae significationem respicias, vovemus etc.

C. *Tractatio* afferat rationes 1) a beneficiis, 2) ab utili, 3) a comparatione cum aliis, ut supra.

D. *Conclusio*, postulat votum.

Buchnerus. Ep. LIX. Itemque precor, ut, qui nunc annus iniit, tibi et tuis, cum multis sequentibus felix undiquaque et fortunatus exeat, ac ut abunde semper in te conferat Numen propitium, ac cumulet, quae pietas tua jam dudum praemia meretur ac virtus, et ego non desinendis votis perpetuo precabor.

Item. Ep. CXLIX. Opto precorque, ut et quem nuper ingressi annum sumus, et plurimos alios, quam felicissimos agas, partamque virtutis florentemque gloriam aliis super alia operibus, perpetuisque incrementis laudum augeas fortis atque incolumis, decus ac ornamentum reipublice juxta ac fulcrum.

Schurtzfl. Ep. CVIII. Pietatis meae summa est, ut, quia per te omnia consecutus sum, Dei beneficio vicissim consequaris, quae gloriae ac felicitati tuae expediunt, quaeque te praestare immortalem queunt.

Morhoff. Neque enim annare tantum et perennare te feliciter jubemus: sed et de nostris annis, immo ab ipsa aeterni-

tate (quod Musis solis licet) integra tibi secula decerpimus. Vive Principum decus, literarum Stator, vive ad votum; sed supra omnium hominum vota, et secundum tua fata.

7.

GRATIARUM ACTORIAE EPISTOLAE.

1. Ex Cicerone. Lib. XIII. Epis. XII.

Argumentum. Eucharistica in hac epistola gratias L. Culleolo Cicero agit, quod humaniter tractarit, omniaque amicitiae eidem officia praestiterit: rogat, ut et deinceps eum sibi commendatum habeat.

Dispositio. 1) *Exordium*, significationem voluptatis ac laetitiae habet, ex officio praestito perceptae; ampla personarum enumeratione factam: 2) *Propositio* petitoria: ut eadem in liberalitate ac humanitate Culleolus maneat. 3) *Conclusio* animi grati atque memoris pollicitationem continet.

Usus, cum gratiae iis agendae, qui commendatos a nobis benigne ac liberaliter tractarunt.

M. T. C. L. Culleolo. S. P. D.

1) Quae fecisti L. Lucceii causa, scire te plane volo, te homini gratissimo commodasse: et cum ipsi, quae fecisti, pergrata sunt: tum Pompeius quotiescunque me videt, (videt autem saepe) gratias tibi agit singulares. Addo etiam illud, quod jucundissimum esse certo scio, me ipsum, ex tua erga Lucce-

ium benignitate, maxima voluptate afficii. 2) Quod superest, quanquam mihi non est dubium, quin cum antea nostra causa, nunc jam etiam tuae constantiae gratia, mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quae initio ostendisti, deinceps fecisti; ad exitum augeri, et cumulari per te velis. 3) Id et Luccejo, et Pompejo valde gratum fore, teque apud eos praeclare positurum confirmo, et spondeo. De Republica, deque his negotiis, cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter paucis ante diebus; easque literas dederam pueris tuis. Vale.

Accedunt collectanea epistolica hujus generis per omnes epistolae partes in certos locos topicos eruditionis causa digesta.

A. *Exordium,* significet laetitiam 1) perceptam vel ex beneficio amici.

Plin. Lib. X. Ep. II. Videor ergo summam mei voti consecutus, cum inter initia felicissimi principatus tui probaveris, me ad peculiarem indulgentiam tuam pertinere.

2) Aut narres ipsum beneficium.

Erasm. Multa sunt tua erga me officia; at nullum omnium mihi fuit aut opportunius, aut jucundius, quam quod fratrem meum in causa difficillima, tuo patrocinio adjuveris.

3) Aut gratias agat.

Sadol. Lib. VII. Ep. V. Non reperio verba, quibus tibi agam pro tua eximia ac praestanti erga me voluntate gratias, quam tuis disertissimis literis praeclare declarasti.

B. *Propositio,* in qua 1) gratiarum actionem proponas.

Plin. L. X Ep. XII. Cui referre gratiam parem nec audeo quidem; quamvis maxime debeam. Itaque ad vota confugio; Deumque precor, ut iis, quae in me assidue confers, non indignus existimer.

Mur. Lib. I. Ep. XC. In ea re est, quod tibi gratias agam, ut sane ex animo facio, valdeque cupio occasionem mihi aliquam obiici declarandae voluntatis erga te meae.

C. *Confirmatio* amplificet beneficia.

1) Ab honesto.

Manut. Lib. IV. Ep. XXXVIII. Quod enim mihi esse potest, non dicam honestius, sed gloriosius, quam te, virum omni genere virtutis excellentem, summa dignitate praeditum, acerrimi in cognoscendis hominibus judicii, nullum officii genus, aut studii, quod quidem ad meam sive utilitatem, sive laudem pertineat, praetermittere? me hercule nulla res fuit, quae nos ad probitatis et doctrinae opinionem commendare magis posset.

2) Quod nullis meritis nostris fecerit.

Erasm. Et facis tu quidem non meis meritis, quae hactenus in te nulla extiterunt, sed tua virtute dignum, qui, nullis a me provocatus officiis, tam prompto in me sis animo, ut beneficium accepisse videaris, quum praestiteris.

3) A laude conferentis beneficia.

Erasm. Accepi munus tuum, re quidem magnificum, sed te auctore longe mihi tum pretiosissimum, tum jucundissimum. Recte enim a Nasone scriptum est: sic acceptissima semper munera sunt, auctor quae preciosa facit.

D. *Conclusio* 1) polliceatur gratum animum.

Erasm. Utinam eam mihi facultatem aliquando concedant superi, ut possim hunc animum tui ardentissimum re potius, quam verbis declarare: Interim si quid erit, in quo mea vicissim opera utendum putabis, cave rogaveris, sed ut tuo mancipio praecipito: invenies ad quidvis et promptum et alacrem.

Manut. Ep. XXXVII. Quare nunc quidem id, quod mihi pro tua summa humanitate facillimum est, ago, ut quem pro

tot, ac tantis officiis animum debeo, cum me praestare tibi persvadeam.

2) Aut petat, ut quae initio ostendit et fecit amicus, ad exitum cumulare velit.

Manut. Lib. IV. Ep. XXXVII. Te interim si rogem, ut, quaemadmodum instituisti, me diligas, faciam imprudenter. Neque enim dubitandum est, quin tu velis in eadem erga me voluntate cum humanitatis, tum constantiae causa permanere.

3) Aut voto pro salute.

Sadolet. Lib. VII. Ep. XIV. Quod ut ita sit, idque nostra ex sententia eveniat, et ex tua dignitate, salvumque te et magnum et florentem diu videamus, ego cum Deum immortalem supplex rogo atque oro, tum tibi pro ista tua tanta humanitate ac liberalitate, et meo, et N. nomine ago gratias, tuaeque praestantissimae virtuti, ac tam egregiae commemorandae naturae, vehementer atque ex animo gratulor.

Observatio. In disponendis epistolis variant auctores, qui de iis contexendis scripsere. Aliis namque placet Epistola, quae ad orationis formam accedit: *prooemiantur* enim; deinde *narrant*; mox id *proponunt*, quod scribere instituerunt, postea *confirmant*, *refellunt* etiam ea, quae in contrarium offerri possunt; postremo conclusione urgent et instant.-- Aliis longior haec scribendi ratio videtur, viamque breviorem et expeditiorem ingredi arbitrantur; cum epistolam per antecedens et consequens disponunt.-- Ex mea autem sententia verbis, nominibusque magis, quam re, diversae sunt istae rationes. Sit e. g. thema simplex hoc: commendandus est studiosus N. qui in Universitatem proficiscitur, studiorum causa. Antecedens in hoc themate erit haec propositio: Studiosus N. in vestram Universitatem proficiscitur; consequens: ego tibi eum commendo. Afferendae nunc erunt rationes et causae, quare tu studiosum N. commendes; poterunt hae, aliaeque esse; quia est amicus tuus;

aut amici filius, aut pius, modestus etc. Atque haec solet appellari connexio, ratio, aetiologia, causa. Tres tales propositiones possunt porro saepius inter se mutari. E. g. Connexio, Studiosus N. est amicus meus. Antecedens. Is in Universitatem vestram proficiscitur. Consequens. Ego tibi eum commendo. Item alio modo: *Consequens*, commendo tibi studiosum N. *Antecedens*, is in vestram Universitatem proficiscitur. Connexio: quia est amicus meus; sive: est pius, modestus.

Obs. 2. In exemplis supra adductis antecedens idem, quod narratio erit; narrare enim possumus: studiosum N. in Universitatem profecturum. In propositione dicendum, nos eum commendare, propositio igitur idem quod consequens esse potest. In tractatione sive confirmatione afferuntur rationes: quae rationes sunt totidem connexiones, aetiologiae, causae. Excogita porro exordium, quod est formula initialis. Subiice conclusionem, quae est formula finalis. Quid igitur discriminis? parum, aut prorsus nihil.

II.

CHRIAE EX CICERONE PRAECIPUE ET MURETO EXCERPTAE.

I.

CHRIA APHTONIANA.

Chria I. Ex Cic. Catil.

1. *Exordium a laude Autoris.* — Accipite optimi adolescentes, veterem orationem Archytae Tarentini, magni in primis et praeclari viri, 1) quae mihi tradita est, cum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo.

2. *Dictum vel sententia Autoris.* — Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat a natura datam, 2) cujus voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiendum incitarentur.

3. *Aetiologia ab effectibus.*

a) Hinc 3) patriae proditiones, hinc Rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci.

b) Nullum 4) denique scelus, nullum malum facinus est, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret.

c) Adulteria vero et omne tale flagitium nullis aliis illecebris extitari, nisi voluptate.

1.) Ab adjuncto. 2.) Ab adjuncto. 3.) Per distributionem et Anaphoram 4.) A Genere.

d.) Cumque homini 1) sive natura, sive Deus nihil mente praestabilius dedisset, huic divino muneri ac dono 2) nihil tam esse inimicum, quam voluptatem.

e.) Nec enim libidine dominante 3) temperantiae locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere.

4. *Amplificatio ab exemplo.*-- Quod 4) quo magis intelligi posset, fingere aliquem animo jubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maxima.

5. *Amplificatio a testimonio.*-- Nemini censebat fore dubium, quin tam diu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, 5) nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset.

6. *Conclusio repetit sententiam.*-- Quocirca nihil tam detestabile 6) tamque pestiferum esse, quam voluptatem.

Ratio Conclusionis ab effectu.-- Siquidem ea cum major esset atque longior, omne animi lumen extingveret.

Accedunt imitationes eruditionis gratia.

Imitatio 1.

Exordium. A laude Ciceronis.

Sententia. Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. *Cicero.*

Aetiologia. a) Auget domos, familias, civitates.

b.) Superat ferme omnes ditescendi rationes.

c.) Sobrietatem, temperantiam. et virtutes reliquas stabilit.

d.) Inter varios rei acquirendae modos expeditior nulla est, quam qui a parsimonia proficiscitur.

e.) Neque facile paupertatem patitur aut famem.

Amplificatio ab exemplo. Intra in domum parci.

---

1) A causa efficiente. 2) Ab adjuncto. 3) A contrario. 4) A fine. 5) Per Synonymiam. 6) Per Synonymiam.

Amplif. a testimonio. Videbis ap[illegible]tum, supellectilem, victum sufficientem.

Conclusio. Parsimonia est necessaria, utilis, fructuosa.

Ratio conclusionis ab effectu. Nam rem familiarem in majus promovet.

Imitatio 2.

Exord. A laude P. Syri.

Sententia. Arcum intensio frangit, animum remissio. Syrus.

Aetiologiae a.) Ignavia rei familiaris diminutionem et interitum accelerat.

b) Omnibus vitiis occasionem dat.

c.) Ignorantiam et socordiam efficit.

d.) Corporis vires hebetat.

e.) Sapientiam expellit.

Amplif. ab exemplo. finge tibi ignavum.

Amplif. a testimon. Et ipse eris optimus testis.

Conclus. Ignavia noxia est literis.

Ratio concl. ab effectu. Nam impedit cursum studiorum, felicitatem tollit.

Chria II. Ex officiis Ciceronis.

Sententia. In rebus prosperis et 1) ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, 2) fastidium arrogantiamque, magnopere fugiamus.

Aetiol. a turpi per comparationem. Nam ut adversas res, sic secundas immoderate ferre, levitatis est.

Amplif. a contrario. Praeclaraque est aequabilitas in omni vita et 3) idem semper vultus eademque frons.

Amplif. ab exemplo. Ut de Socrate itemque de C. Laelio accepimus, Philippum quidem Macedonum Regem 4) rebus

1) Per Synonymiam. 2) Per Synonymiam. 3) Per Synonymiam. 4) Per Concessionem.

gestis et gloria superatum a filio; facilitate et humanitate video superiorem fuisse.

Amplif. a meditatione. Itaque alter semper magnus, alter saepe turpissimus fuit.

Amplif. a testimonio. Ut recte praecipere videantur, qui monent, ut quanto superiores simus, tanto nos submissius geramus.

Amplif. a simili. Panaetius quidem Africanum auditorem et familiarem suum solitum ait dicere: ut equos 1) propter crebras contentiones praeliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere soleant: 2) Ut his facilioribus possint uti: Sic homines 3) secundis rebus effrenatos sibique praefidentes, tanquam in gyrum rationis et doctrinae duci oportere: 4) ut prospicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunae.

Conclusio a consectario morali. Atque etiam in secundissimis rebus maxime est nitendum consilio amicorum; hisque major etiam, quam ante, tribuenda est auctoritas, iisdemque temporibus cavendum est, ne assentationibus patefaciamus, aures 5) nec adulari nos sinamus; 6) in quo falli facile est.

Ratio a damno. Tales enim nos tunc esse putamus, ut jure laudemur; 7) ex quo nascuntur innumerabilia peccata; cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur, et in maximis versantur erroribus.

I m i t a t i o 1.

Sententia. Beneficiis acceptis, fugiamus ingratorum hominum nomen.

Aetiol. a turpi. Beneficia accepta oblivisci levitatem et stupiditatem animi arguit.

---

1) A causa. 2) A fine. 3) Ab adjuncto. 4) A fine. 5) Per Synonym. 6) Ab adjuncto. 7) A consequente.

Amplif. a contrario. Gratitudo mentem bonorum capacem ostendit.

Amplif. ab exemplis. Aristotelis, Platoni praeceptori (ut vulgo creditur) nullam gratiam referentis; Alexandri, nutricis Hellanicae filium Clytum interficientis: Romanorum, Scipionem, qui Carthaginem subegerat, Hasdrubalem superaverat, proscribentium.

Ampl. a meditatione. Romanis potissimum semper exprobrata Scipionis injuria.

Ampl. a testimonio. Terentii: Ad hoc res rediit, si quis quid reddat, magna habenda est gratia.

Amplif. a simili. Ut hedera arborum ramis adhaerens assurgit quidem aliena ope et erigitur, sed deinde opitulanti arbori nocet: sic ingrati benefacientibus.

Conclusio a consectario morali. Hoc praecipue tempore istud nos consideremus, quo Deus nobis in mediis hostium agminibus pacem concessit.

Ratio. Nisi grati simus, iram Dei in nostra capita provocabimus.

Imitatio 2.

Sententia. Aurora Musis amica.

Aetiologia. Praetermittens auroram magnam diei partem perdidit.

Amplif. a contr. Crescunt studia sub aurora inchoata.

Amplif. ab exemplis, Demosthenes antelucana opera se ab opificibus superari dolebat. Themistocles Miltiadis tropaea somno excitabatur.

Amplif. a medit. Literis prodita illorum industria est.

Amplif. a test. Vigilare decet hominem, qui sua tempore conficere vult negotia.

Amplif. a simili. Manna matutinis horis colligebatur.

Concl. a consect. doctrin. Studiosi praecipue aurorae speciem ad purgandas mentes adhortantem attendant.

Ratio. Alias nihil aut parum proficient.

Chria III. Ex Ciceronis Catone.

Sententia Ciceronis. Non cani, 1) non rugae repente auctoritatem arripere possunt: sed honeste acta superior aetas fructus autoritatis praebet extremos.

Aetioí a consequente. Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia, 2) salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: 3) quae et apud nos et in aliis civitatibus diligentissime observantur.

Amplif. a testim. Lysandrum Lacedaemonium dicere ajunt solitum, Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis.

Ratio testimon. a comparat. Nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior.

Amplif. ab exemplo contrario. Quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis 4) ludis quidam in theatrum grandis natu venisset in magno consessu, locum ei a civibus suis nusquam datum. Cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, Legati cum essent, in loco certo consederant, consurrexisse omnes illi dicuntur, et senem illum sessum recepisse.

Conclusio a consectar. doctr. Quae sunt igitur voluptates corporis cum autoritatis praemiis comparandae? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam aetatis peregisse.

I m i t a t i o 1.

Sententia Augustini. Non repentina mors, sed ea, quam antecessit vita mala, damnat.

---

1) Per antithesin. 2) Per distributionem. 3) Ab exemplis. 4) A circumstantiis.

Aetiol a consequente. Nam corpus et animam morte dissolvi malum non est, quae vis etiam pios vita privat.

Amplif. a testim. Senecae: Quisquam ad vitam editur, ad mortem destinatur.

Ratio testimon. a comparat. Nullus a mortis lege liber est.

Amplif. ab exemplis. Philippus rex Macedoniae a puero mortis certitudinem doceri volebat, quin ei acclamabat ter quotidie: Philippe, memento mori.— Multi repente hinc discedunt. Christiani inprimis cum Bernhardo dicunt: Domine, si adhuc populo tuo inservire possum, non recuso laborem: sin minus, fiat voluntas Domini.

Ratio. Neque enim Deus certo mortis generi se alligavit: modo vita antegressa nos non damnet.

Conclus. a consectar. doctrin. Non debemus lenta morte artem moriendi discere velle, sed in voluntate Dei acquiescamus.

Imitatio 2.

Sententia Senecae. Nobiles non sunt mihi avi, non altis inclytum cumulis genus, sed clara virtus.

Aetiol. a conseq. Laudari, aestimari, honorari, coli propter virtutem debemus.

Amplif. a testim. Juvenalis. Nobilitas sola est atque unica virtus.

Ratio testim. a comparat. Nulla res praeter virtutem vere nobilitat.

Amplif. ab exempl. Cicero obscuro genere natus, postea virtute summam autoritatem apud Romanos nactus est.

Amplif. ab apophtegm. Alcibiades ignobilitatem generis exprobranti sibi ait: Meum genus in me incipit, tuum in te desinit. *Plutarchus.*

Amplif. ab exempl. Nostra aetate multi suis factis inclaruerunt.

Concl. a consect. doctrin. Virtus inter praemia sua nobilitatem numerat.

Imitatio 3.

Dictum Athenagorae. Nos (Christiani) in omnibus nobis constamus, et nostri similes sumus, verboque divino obtemperamus, et ipsum non abnegamus.

Paraphr. Philosoph. Digna Christiano oratio, qui ex sacris literis eruditus est, non ex ratione sua.

Aetiol. a congerie rationum. Salutis via in verbo ostenditur, sine illo nullus homo salvus esse potest; absque eo vita omnis perit; per idem illuminamur et renovamur, et animas depressas solamur; id circo Christianus omnis verbo morigerari debet.

Ratio a necessario. Non negligamus talem gratiam unice nobis necessariam.

Ratio rationis. Non datur lata ad coelum via, sed arcta. *Matthaeus.*

Amplif. a parabola. Verbi semen in bonum agrum cadat, non in lapides, in semitam, inter spinas.

Aetiol. a contrar. Pauci re, plurimi ore tantum Christianorum nomen gerunt.

Conclus. a consectario pedevt. Verbis Apostoli: Evigila, qui dormis, et surge a mortuis, et Christus te illuminabit, impios adhortor ad pietatem.

Ratio 1. a damno. Surgite ex miseria, et impietatem fugite.

Ratio 2 ab iniquo. Meritum Christi efficacissimum nefas est contemnere.

Ratio 3. ab utili. Potius animam sangvine Christi respergite.

Ratio 4. a facili. Patet janua coeli, offertur gratia.

Ratio 5. a jucundo. Exhilarabitis Deum et Angelos.

Imitatio 4.

Dictum Solomonis. Abi, ignave, ad formicam et disce ab ea.

Paraphr. Philosoph. Regia vox, quae labori tribuit, quod alii fortunae.

Aetiol. a congerie ration. Ignavia damnum ipsum secum fert: homine ingenuo indigna est; tempus pessime collocat; honoris fontes obstruit, conscientiam perturbat; igitur a quolibet expelli debet.

Ratio a necesario. Non tibi, poëta teste, per ventos assa columba venit.

Rat. ration. Deus enim sudore venalem mercedem exposuerit.

Amplif. a contrar. Quam pauci diligenter laborant, et non potius ignaviam sectantur.

Concl. a consect. pedevt. Quibus verbis Solomon sterturientem excitat, vetatque eum ulterius dormitare, ne paupertas eum occupet: iisdem ego ignavos reprehendo.

Ratio 1. a damno. Opes nullas colligit somniculosus.

Ratio 2. ab iniquo. Lacertos viresque dedit Deus, quae tamen desidia torpescunt.

Ratio 3. ab utili. Poteras laborando victum quaerere.

Ratio 4. a jucundo. Hoc modo voluptas animi vere comparatur, si tui sudoris recordari queas.

2.

CHRIA PRACTICA.

Practica vocatur, quae amplificationum fontes usurpat pro libertate Oratoris, et prout commodum videtur. Et modo suc-

cinctius, modo prolixius sententiam propositam amplificat.

Chria I. Ex Ciceronis officiis I.

Protasis. Charitas Patriae est maxima.

Cum omnia ratione animoque lustraveris: omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quam ea, quae cum Republica est unicuique nostrum.

Aetiol. ab objecto per Comparat. Chari sunt parentes, 1) Chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium Charitates patria una complexa est: 2) Pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profecturus?

Conclus. a consect. epanorth. Quo est detestabilior illorum immanitas, qui lacerant omni scelere patriam: et in ea funditus delenda occupati et sunt et fuerunt.

Imitatio 1.

Protasis. Religione non majus vinculum ad ligandos animos datur.

Aeliol. ab adjuncto. Quia omnia vincula amicitiae, Sodalitatum, Collegiorum, congressuum colligatione arctissima antecurrit.

Concl. a consect. epanorth. Culpantur illi, qui frivole vel sentiunt, vel loquuntur de religione.

Imitatio 2.

Protasis. Is se profecisse sciat, cui Cicero valde placuerit. *Quintilianus.*

Aetiol. ab adjuncto. Omnes Scriptores, quos Latium tulit, antecellit, Livium, Sallustium, Nepotem, Caesarem.

---

1) Per distributionem. 2) a Consequ.

Concl. a consectar. epanorth. Non probandi igitur, qui lectionem Ciceronis fastidiunt.

Chria II. Ex Ciceronis Offic. I.

Protasis Adolescens a senibus proficiat.

Est adolescentis majores natu vereri, 1) Ex hisque eligere optimos et probatissimos, 2) quorum consilio atque authoritate nitatur.

Aetiol. a necessario. Ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est.

Amplif. a specie. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est, exercendaque 3) in labore et patientia et animi et corporis 4) ut eorum et in bellicis et in civilibus negotiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos 5) et dare se jucunditati volent, caveant in temperantiam; 6) meminerint verecundiae.

Concl. a facili. Quod erit facilius, si ejusmodi quoque rebus majores natu inter esse velint.

Imitatio 1.

Protasis. Homo sibi in vita virum prudentem ob oculos ponat. *Seneca.*

Aetiol. ab utili. Sic disciplina morum servatur.

Amplif. a specie. Proponat sibi cum solus est et otiosus.

Concl. a facili. Plus valent exempla, quam praecepta.

Imitatio 2.

Protasis. Discipulus obediat praeceptori.

Aetiol. ab aequo. Praeceptor eum instruit.

---

1) Ab adjuncto. 2) Ab effectu. 3) A contrario. 4) A fine. 5) Per Synonym. 6) A contrar.

Amplif. a specie. Maxime si eum dehortatur ab ignavia et otio. Et cum dura, sed necessaria mandat.

Concl. a facili. Facile fiet, si commodum futurum consideret.

Imitatio 3. alius generis.

Protasis. Adolescentes plerique indulgent libenter vitiis.

Aetiol. a testim. Ovidii. Juvenilibus annis Luxuriant animi.

Ratio aetiolog. Nam lubricum illud aetas vix modum tenet.

Amplif. ab Exempl. Dionis, qui indulgendo turpissimis imbuebatur cupiditatibus. *Nepos.*

Ampl. a meditat. Quod Patri valde dolebat, cum praecipue institutionem frustra susceptam videret.

Concl. a consect. Epanorth. Caveant adolescentes vitia.

Imitatio 4.

Protasis. Discipuli plerumque otiari volunt.

Aetiolog. a testim. Horatii. Vitanda est improba Siren, desidia; id ad discipulos quadrat.

Amplif. ab exemplo. Ciceronianorum puerorum alter, ut Isocrates dixit, alter freno egebat, alter calcaribus.

Amplif. a medit. Laboriosum est expugnare lentitudinem ignavorum discipulorum.

Concl. a consect. morali. Ignavia omnibus viribus debellanda est.

Chria III. Cic. Offic. I.

Protas. In eligendo vitae genere naturam consulamus.

In hac deliberatione, quem potissimum vitae cursum sequi velimus, ad suam cujusque naturam consilium est omne revocandum.

Aetiol. a Compar. Nam 1) cum in omnibus quae aguntur, ex eo modo, quo quisque natus est, quid deceat exquiviremus. Tum in tota vita constituenda 2) multo est rei cura major adhibenda: 3) ut constare in vitae perpetuitate possimus nobismet ipsis 4) nec in ullo officio claudicare.

Amplif. a modo. Ad hanc autem rationem 5) quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam, utriusque omnino ratio habenda est in deligendo genere vitae 6) sed naturae magis.

Ratio modi ab adjuncto. Multo enim et firmior est et constantior: ut fortuna non nunquam tanquam ipsa mortalis cum immortali natura pugnare videatur.

Concl. a Consect. doctrin. Qui igitur ad naturae suae non vitiosae genus Consilium vivendi omne contulerit, is Constantiam teneat.

Ratio ab honesto. Id enim maxime decet, nisi forte se errasse intellexerit in deligendo genere vitae.

Imitatio 1.

Protas. Explorandum est ingenium illius, qui literis vult operam navare.

Aetiolog. a compar. Si enim in omnibus studiis, quae in vita eligimus, explorationem recte praemittimus: multo magis in literarum ingressu id fiat, quae ingenii dotes postulant.

Amplificatio a modo. Ad literas colendas respiciendum puto primum ad naturam, deinde ad facultates, sed prius ad naturam.

Ratio modi Natura magis necessaria est, quam opes.

Concl. a consect. doctr. Quem in utraque non infirmum deprehendimus, felicius procedet in cursu literarum.

---

1) A minore. 2) Ad majus. 3) A fine. 4) Per antith. 5) A Causa. 6) A comparat.

Ratio ab honesto. Haec duo prudenter conjungamus, nisi impedimento ipsi nobis esse velimus.

Imitatio 2.

Protasis. Nosse hominem oportet, quem liberis informatorem daturi sumus.

Aetiol. a compar. De servo aut famulo circumspicientes sollicite deliberamus: quanto magis eligentes informatorem, ut mores et sapientia pueri instillentur.

Ampl. a modo. In quo spectanda eruditio et virtus, sed virtus potius, quam eruditio.

Ratio modi ab adjuncto. Virtus quasi utramque paginam facit, ut ipsa sapientiam accendere videatur.

Concl. a consect. doctr. Beatum patrem, qui suis Praeceptorem probum et doctum et industrium dedit.

Ratio ab honesto. Hoc pietas in liberos flagitat, nisi velimus eos informes manere.

Chria IV. Cicer. Offic. I.

Protasis. Multi modum excedunt in extruendis aedificiis.

Cavendum est, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumtu et magnificentia prodeas, 1) quo in genere multum mali etiam in exemplo est.

Aetiol. ab experientia. Studiose enim plerique praesertim in hanc partem facta Principum imitantur.

Amplif. ab exemp. Ut Lucii Luculli summi viri virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati sunt.

---

1) A medit.

Concl. a consect. morali. Quarum quidem certe est adhibendus modus, 1) ad mediocritatemque revocandus, eademque mediocritas 2) ad omnem usum cultumque vitae referenda est.

Imitatio.

Protas. Tamandus est vestium luxus, qui mores antiquos pervertit.

Aetiol. ab experientia. Ultra dignitatem se plerique vestiunt.

Amplif. ab exemplo. Vel Salomonis magnificentiam optant sibi, virtutes praetermittunt.

Concl. a consetc. morali. Sit modus etiam in vestitu.

Obs. Huc pertinent Adhortationes, Dehortationes, Admonitiones.

Chria V. Cicer. Offic. I.

Protasis. Honesta amicitia est optima societas.

Omnium societatum 3) nulla praestantior est 4) nulla firmior, quam cum boni viri 5) moribus similes familiaritate conjuncti sunt.

Aetiol. ab effectu. Illud enim honestum, quod saepe diximus, etiamsi in alio cernimus: tamen nos movet atque illi, 6) in quo id inesse videmus, amicos facit.

Amplif. a speciebus. Et quanquam 7) omnis virtus nos ad se allicit 8) facitque; ut eos diligamus 9) in quibus ipsa inesse videatur: tamen justitia et liberalitas id maxime efficit.

Concl. a consevt. doctr. Nihil autem amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum.

---

1) A Synonym. 2) Ab obj. 3) A genere. 4) Per Synonym. 5) Ab adjuncto. 6) A subjecto. 7) A genere. 8) Per Synonym. 9) A subjecto.

Rat. conclus. In quibus enim eadem studia sunt 1) eaedemque voluntates: in his fit, ut aeque quisque altero delectetur 2) ac se ipso: efficiturque id, quod 3) Pythagoras in amicitia, ut unus fiat ex pluribus.

Imitatio. 1.

Protas. Maxime benevolentia in concordia hominum cernitur.

Aetiol. ab effectu. Honestum mutuo amore conflatum nos pellicit.

Amplif. a speciebus. Omnis quidem concordia homines afficit; fratrum tamen concors amicitia svavissima esse creditur.

Concl. a consect. doctr. Nihil dulcius amantissima fratrum conjunctione.

Ratio Conclus. Si in fratribus concordia nexum pectus est: id evenit, quod David ait; ecce quam jucundum est, fratres concorditer secum habitare.

Imitatio. 2.

Protas. Omnes affectus, qui bonam mentem in homine alunt, utiliter a natura dati sunt.

Aetiol. ab effectu. Ad virtutem enim excitant et impellunt.

Amplif. a specie. Quanquam metus poenarum facit justa agere, spesque afflictos erigit et bonum jubet prosequi: tamen misericordia et amor proximo eximie inserviunt.

Concl. a cons. doctr. Misericordia sublevat pauperem, amor benefacit.

---

1) Per Synonym. 2) Per comparat. 3) A testimonio.

Ratio conclus. Amor alterius inopiam velut suam intuetur, facitque quod Aristoteles vult in amicitia, ut una anima in duobus habitet corporibus.

Chria VI. Cic. in Catone.

Protasis. Placida mors est, quam natura dissolvit.

Vivendi est finis optimus, cum 1) integra mente caeterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit.

Amplif. a compar. Ut navem, 2) ut aedificium idem destruit facillime, qui construxit, sic hominem eadem optime, quae conglutinavit, natura dissolvit.

Aetiol. comparati ab adjuncto. Nam omnis conglutinatio recens aegre, inveterata facile divellitur.

Concl. a consect. morali. Ita fit, ut illud brevae vitae reliquum nec avide appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit.

Amplif. a testim. Vetatque Pythagoras injussu Imperatoris i. e. Dei, de praesidio et statione vitae decedere. Solonis quidem elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum lamentisque vacare.

Amplif. a paraphr. Grammat. Vult se charum credo suis esse.

Amplif. a testim. Sed haud scio an melius Ennius: Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu faxit: Cur? volito vivus per ora virum.

Amplif. a paraphr. Gram. Non esse lugendam mortem censet, quam immortalitas consequatur.

Imitatio. I.

Protas. Beatissima mors, quam Deus in fide discedenti immittit.

---

1) A modo. 2) Per distribut.

Amplif. a compar. Ille, qui telam texuit, idem retexere et dissuere potest.

Aetiol. comp. ab adjuncto. Textor enim texturam suam penitus novit.

Concl. a consect. morali. Mortis appropinquatio fide excipiatur; neque metuatur.

Amplif. atest. Johannis. Beati, qui in Domino moriuntur ab usque, quia requiescunt a labore.

At Sapientis dictum solatii plenum est, quo animas justorum in manu Dei esse affirmat, ab omni cruciatu immunes.

Amplif. a paraphr. Gramm. Tristitiam morituris vult eximere.

Amplif. ab exemplo. Non minus se solatur Jacobus: Domine, vicinus morti ait, salutem expeto tuam.

Amplif. a paraphr. Gramm. Non desperandum in morte pii esse monet.

Imitatio. 2.

Protas. Is est dives, qui sua sorte contentus est.

Amplif. a comparat. Aegrotus, quantumvis nummatus, minime commode vivit.

Conclus. a consect. mor. Nec appetantur nimis divitiae, si desint; nec si adsint, abiiciantur.

Amplif. a testim. Turpilii. Profecto, ut quisque minimo contentus fuit: ita fortunatam vitam duxit maxime. Prisc. Horatius ita, multa, inquit, petentibus desunt multa: bene est, cui Deus obtulit parca, quod satis est, manu.

Amplif. a paraphr. Gramm. Animum sua fortuna contentum postulat.

Amplif. a testim. Bene quoque Apulejus: is plurimum habebit, qui minimum desiderabit: habebit enim, quantum volet, qui volet minimum.

Amplif. a paraphr. Gramm. Cupiditatem refringens suam possidere dicitur divitias.

Imitatio. 3.

Protasis. Coecum puto, cujus mentem vini ingurgitatio obnubilat.

Amplif. a compar. Ut nebula, ut nubes circumfundit oculos: ita ebrietas mentem excoecat.

Aetiol. compar. ab Adjuncto. Ebrietas omnis ad insaniam vergit.

Concl. a consevt. morali. Et fugienda ebrietas et in aliis vituperanda.

Amplif. a testim. ovidii. Nulla ebrietas tanta sit: ut tibi curas eripiat. Antiquis lex symposiaca haec erat, ut primum poculum faceret ad sitim, secundum ad hilaritatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad insaniam. *Crinitus.*

Amplif. a paraphr. Gram. Bacchum homines dementare significarunt.

Amplif. a testim. Poëtarum, Qui Semelae Bacchi matri, quatuor sorores tribuunt, Ino sive vinolentiam; Antinoen sive rerum oblivionem; semelen sive libidinem; Agaven sive insaniam.

Amplif. a Paraphr. Gramm. Refugiendum esse suadent a vitio, quod vitiorum origo sit.

Chria VII. Cic. Offic. I.

Protasis. In referenda gratia solliciti esse debemus.

Si erunt merita, ut 1) non inеunda, sed referenda sit gratia, major quaedam cura adhibenda est.

Aetiol. a necess. Nullum enim officium referenda gratia necessarium est.

---

1) Per antithesin.

Amplif. a testim. Hesiodi. Quod si ea, 1) quae acceperis utenda, majori mensura (simodo possis) jubet reddere Hesiodus: 2) quidnam beneficio provocati facere debemus.

Amplif. a simili. Annon imitari agros fertiles, qui multo plus referunt, quam acceperunt?

Ratio similis. Etiam 3) si in eos quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: 4) quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt.

Ratio ration. Nam 5) cum duo genera liberatitatis sint, unum dandi beneficiorum, alterum reddendi: demus, nec ne, in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet, modo id facere possit sine injuria.

Concl. a cons. doctr. Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi.

Ampl. a subjecto. Nec dubium est, quin maximo cuique plurimum debeatur.

Ampl. a fine. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, benevolentiaque fecerit ponderandum est.

Ratio finis. Multi enim multa faciunt temeritate quadam sine judicio vel modo in omnes: vel repentino quodam quasi vento; impetu animi incitati: quae beneficia aeque magna non sunt habenda atque ea, quae judicio, considerate constanterque delata sunt.

Imitatio. 1.

Protasis. Si facultas sit, eleemosynam liberalius demus.

Aetiol. a necess. Officium hoc Christiano necessarium.

Ampl. a testim. Dominus noster praecipit, ne simistra sciat, quae dextra dederit.

Ampl. a simili. Christiani seminatores sint eleemosynarum.

---

1) A minori. 2) Ad majus. 3) A minovi. 4) Ad majus. 5) A speciebus.

Ratio similis. Largius seminamus in agro, quidni et in ecclesia?

Ratio rationis. Nam duo fontes sunt charitatis, misericordia et erogatio bonorum: uterque foras promanet.

Concl. a consect. doctr. Pauperes discernamus.

Ampl. a subjecto. Egentissimus Christianus praeferatur.

Ampl. a fine. Divinam gloriam intendamus.

Ratio finis. Multi dando gloriantur: multi mereri gratiam Dei muneribus volunt.

Imitatio. 2.

Protasis. Decet adolescentem inprimis esse modestum.

Aetiol. a necess. Id ad fortunam fabricandam requiritur.

Ampl. a testimonio Gerhardi. Magnam modestia nobilitati apud plures gratiam ac favorem circumdat, et expedito est adminiculo ad vota perveniendi.

Ampl. a simili. Aurum et argentum, pretiosa metalla, etiam ad ornatum adhibemus.

Ratio ration. Duobus modis ostenditur modestia submissione animi et orationis, illa aurum, haec argentum putetur.

Concl a consect. doctrin. Haec modestia suo loco ac tempore apte applicetur.

Ampl. a subjecto. Maxime coram superioribus.

Ampl. a fine. Videat Adolescens, ut sola veneratione alterius duci videatur.

Ratio finis. Potest enim vel sine judicio, vel inclinatione naturae et consvetudine adduci, sed reverentia modestiam in majus extollit.

Imitatio. 3.

Protasis. Deo gratias agamus pro Imperatore nostro longe clementissimo.

Aetiol. ab honesto. Pium est patris patriae collocationem in throno devote celebrare.

Ampl, a testim. Christi. Reddite Caesari, quae sunt Caesaris.

Ampl. a simili. Filiorum animos sumamus, qui semper sinceritate et gaudio patrem prosequuntur.

Ratio similut. Si patri privato tantum debetur gaudium, quantum patri publico, tanto Imperatori?

Ratio ration. Duplex gratulationis ratio partim, quae pectore, partim, quae ore fit, conjungatur.

Concl. a consect. doctrin. Flagitat summa observatio talem observantiam.

Ampl. a subjecto. Et optimo cuique Principi summa omnia debentur.

Ampl. a fine. Et animus praecipue consecretur.

Ratio finis. Non sufficiunt verba, non gestus externus, animus civem devinctissimum efficit.

Obs. Huc pertinent admonitiones, adhortationes, consultationes.

Chria VIII. Cicer. ex Cat.

Protasis. Mors non est metuenda.

Hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione tranquillo esse animo nemo potest.

Aetiol. a necess. Moriendum enim certe est, et id incertum, an eo ipso die.

Amplif. ab exemplo. De qua non ita longa disputatione opus esse videtur: cum recordor non solum L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus; non duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt: Non M. Regulum, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret: non duos Scipiones, qui iter Poenis vel cor-

poribus suis obstruere voluerunt; non avum tuum, L. Paulum, qui morte sua luit collegae in Cannensi ignominia temeritatem; non M. Marcellum, cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturae carere passus est; sed legiones quidem nostras scripsi in originibus in eum locum saepe profectas alacri animo et erecto, unde nunquam se redituros arbitrarentur.

Concl. a consect. morali. Quod igitur adolesentes 1) et ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent?

Ratio concl. Omnino (ut mihi quidem videtur) rerum omnium satietas vitae facit satietatem.

Ampl. a compar. Sunt puerilae certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes: Sunt et ineuntis adolescentiae: num eam jam constans requirit aetas, quae dicitur media? Sunt etiam hujus aetatis: ne ea quidem in senectute quaeruntur. Sunt autem extrema quaedam studia senectutis.

Ampl. a medit. Ergo ut superiorum aetatum studia occidunt: sic occidunt etiam senectutis.

I m i t a t i o. I.

Protasis. Laboris molestiam despiciamus, sine quo nihil lucramur.

Aetiol. a necess. Laborandum vel toto die.

Ampl. a conseq. Paupertati proximus est laborem fastidiens.

Ampl. ab exemplo. Aeneas ad Ascanium: Disce puer virtutem ex me verumque laborem. Virgilius.

Cum Picus Mirandula a Politiano et aliis laudaretur, quin respicite potius, inquit, ad labores et vigilias nostras.

---

1) Ab adjuncto.

Concl. a consect. morali. Quod laudati homines fecere, id omnes faciant.

Ratio concl. Victus ratio laborandi necessitatem imponit.

Ampl. a compar. Omnis aetas labori suo destinetur, pueritia, adolescentia, juventus, senectus.

Ampl. a medit. Itaque ut aetas omnis labori destinatur, sic omnis homo in quavis aetate constitutus.

Imitatio. 2.

Protasis. Crux Christi insigne est Christianorum.

Aetiol. a necess. Credendum omnibus in Crucifixum, quibus salus aeterna curae est.

Ampl. a conseque. Signum ergo Redemptoris vel insignibus gestare quis erubescat?

Ampl. ab exemplo. Rudolphus I. Imperator cum coronato Aquisgranii 1) deesset sceptrum, crucem Domini accipiens dixit: hoc deinde sit sceptrum meum, hoc imperabo. Constantino Imperatori crux in coelo monstrata cum verbis: in hoc vince.

Concl. a consect. morali. Quod tantis viris placuit et in ipsa natura expressum est, reliquis Christianis non displiceat.

Ratio concl. Omnium ornamentorum maximum est vexillum Christi Salvatoris.

Ampl. a compar. Habent Monarchae sua decora: Populi suos splendores, familiae suas imagines: christianus cruce Domini contentus vivit.

Ampl. a meditat. Ut alii suum nitorem jactant: ita pius insignibus Dei quasi eminet.

Imitatio 3.

Protasis. Eruditos viros honore et praemiis afficiamus, ut ad studia et alii excitentur.

---

1) Въ Ахенѣ.

Aetiol. ab utli. Eruditio enim multum confert ad felicitatem publicam.

Ampl. a Conseq. Spreta eruditione flos civitatis sensim decerpitur.

Amplif. ab exemplo. Lacaedemonii Pindari domui pepercerunt in ruina communi Thebarum. *plutarc.* Licurgus legem tulit, ut Aeschilo, Sophocli et Evripidi statuae aureae ponerentur.

Conel. a cons. morali. Quod allati viri fecerunt, alii quoque faciant.

Racio Concl. Rei pulchritudo per se amabilis est.

Amplif. a Comparato. Sunt quidam excellenter eruditi, quidam praeclare, quidam sufficienter, quidam mediocriter.

Ampl. a meditat. Singulis distinctus honor debetur, et diversum praemium.

Usus. In refutationibus, querelis, Consolationibus.

Chria. IX. Cic. Offic. I.

Protasis. Liberalitas nostra nemini noceat. Videndum est maxime, ne obsit benignitas, et his ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et coeteris.

Aetiol. ab honesto. Id enim est justitiae fundamentum, ad quam omnia referenda sunt.

Rationis ratio a Contrar. Nam et qui gratificantur cuipiam, quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, 1) non benefici neque liberales, sed perniciosi assentatores Judicandi sunt. Et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant.

Ampl. ab exemplo. Sunt autem multi quidem cupidi splendoris et gloriae qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur.

Amplif. a fine. Hique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos, quacunque ratione.

---

1) Per Antith.

Ampl. a medit. Id autem tantus abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium.

Cond. repetit. Prot. Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini.

Ampl. Concl. ab exempl. Quare L. Syllae et C. Caesaris pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri.

Ratio exempli. Nihil enim sit liberale, quod non idem sit justum.

I m i t a t i o.

Prot. Eleemosynas nostras nulla ostentatio deformes faciat.

Aetiol. ab honesto. Id pietatis ratio postulat.

Rat. ratio. Pauperi opem ferre e facultatibus suis Cum jactatione non decet Christiano: pereunt munera, quae in publicum prodeunt, ut spectentur.

Ampl. ab exemplo. Ostentatorum talium plena sunt omnia.

Ampl. a fine. Gloriolam captant in suis donationibus.

Ampl. a medit. Intervertunt fidem Christianae benignitatis.

Concl. repetit prot. Non ostentemus eleemosinas.

Ampl. Conclusionis ab exemplo. Abeant pharisaei daturi, qui praecini tibiis sibi in plateis jubebant.

Rat. exempl. Non placet liberalitas absque submissione animi.

Usus. In dehortationibus, adhortationibus, admonitionibus.

Chria. X. Cic. Offic. I.

Exordium a comparat. Homines literati etiam aliis officia praestiterunt.

Illi ipsi, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum commodis et utilitatibus non recesserunt.

Aetiol. ab effectu. Nam et erudiere multos, 1) quo meliores cives utilioresque rebus suis publicis essent, 2) ut Thebanum Epaminondam Lysias Pythagoreus, Syracusium Dionem Plato multique multos.

Ampl. ab exemplo proprio. Nosque ipsi quicquid ad Rempublicam attulimus, (simodo aliquid attulimus) a doctoribus atque doctrina instructi ad eam et ornati accessimus.

Prot. Literati etiam post mortem prosunt. - Neque solum vivi atque praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent: sed hoc idem etiam post mortem monumentis literarum assequuntur.

Aetiol. ab effectu. Nec enim locus ullus praetermissus est ab iis, qui ad leges, 3) qui ad mores, qui ad disciplinam Reipublicae pertineret: ita ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur.

Ampl. a medit. Ita illi ipsi doctrinae, studiis et sapientiae dediti ad hominum utilitatem suam sapientiam 4) prudentiam intelligentiamque potissimum conferunt.

Ampl. a consect. doctr. Ob eam etiam, causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est, 5) quam vel acutissime sine eloquentia cogitare: 6) quod cogitatio in se ipsa vertitur: eloquentia vero complectitur eos, quibuscum Communitate juncti sumus.

Ampl. a simili. Atque ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur: sed cum congregabilia natura sint, fingunt favos: Sic homines et multo etiam magis natura congregati adhibent augendi congregandique solertiam.

Concl. a cosect. doctr. Itaque nisi ea virtus 7) quae Constat ex hominibus tuendis i. e. ex societate generis humani, attingunt rerum Cognitionem, solivaga Cognitio et Jejuna vi-

---

1) A fine. 2) Ab exemplo. 3) Per distribut. 4) Per synon. 5) Per comparat. 6) A causa. 7) Per periphrasin.

deatur. Itemque magnitudo animi remota a communitate conjunctioneque humana, feritas fit quaedam, fit et immanitas.

Ampl. a medit. Ita fit, ut vincat cogitationis studium consociatio hominum atque communitas.

Ampl. a confut. Objectio. Nec verum est quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitae, quod ea, quae natura desideraret consequi sine aliis atque efficere non possemus, id circo istam esse cum hominibus communitatem et societatem.

Responsio. Quod si omnia nobis quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, (ut ajunt) suppeditarentur: tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret?

Rat. respons. Non est ita: nam et solitudinem fugeret et socium studii quaereret: tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere.

Ampl. a consect. doctr. Ergo omne officium, quod ad conjuctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur.

Imitatio.

Exordium. Etiam qui honestate ducuntur, utilitatem non bene respuere.

Aet. ab effectu. Saepius videmus honestissimos homines, ut vitam traducant quaestui inservire, ut mercatores, ut artifices opificesque.

Aetiol. ab exemplo. Seneca, maximus magister morum, locupletatus est maxime a Nerone.

Prot. Etiamsi non offeratur occasio, possunt ipsi quaerere occasionem.

Aetiol. ab aequo. Si enim suo pane vesci quisque debet, quomodo vir honestus aliena quadra vivere possit?

Ampl. a medit. Ita ad parandum commodum, illaesa pietate, diligentia impenditur.

Ampl. a Consect. doctr. Unde magno homine dignius est, occasione arrepta, suis e laboribus victum quaeritare, quam per inertiam misere vivere, aut fame affligi: quia labor molestissimus inhonesto otio longe anteferitur.

Ampl. a simili. Ut formicae non desidiae gratia congregantur, sed ad colligenda grana: ita honestissimus quisque metere cupit ante hyemem vel cum sudoribus suis.

Concl. a consect. doctr. Qui ergo in alieno nido calefieri cupit, et alterius pabulo saginari: injustitia non vacat. Et adulatio illa rapinae aut furto similior est, quam blando officio.

Ampl. a medit. Perit honestatis sensus, alendi sui, ut ingenuum decet, sollicitudine subtracta.

Ampl. a confutat. objectio. Vanum est, quod affertur, difficillimam ita se sustentandi rationem esse, quia multitudo hominum alimenta subtrahat.

Responsio. Si e sinu suo Deus bona sua profunderet, et ut coturnices Ebraeorum, cadente pluvia simul demitteret, nonne vitam delicatam putaremus?

Rat. respons. Non cadit in hominem probum. Nam et suum vult habere, et alienum non appetere, et potius de suo largiri, quam aliunde rapere.

Ampl. a cons. doctr. Magni aestimetur homo utilitatem quaerens suam non sejunctam ab honestate.

Usus. In doctrina et refutationibus.

Chria XI. Cic. Orat. pro Arch.

Prot. Studia humanitatis jucundissima et liberalissima sunt.

Quodsi 1) non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam et liberalissimam judicaretis.

1) Per prolepsin.

Aetiol. ab adjuncto. Nam 1) caeterae res neque temporum sunt, 2) neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia 3) adolescentiam alunt: senectutem oblectant: secundas res ornant: adversis perfugium et solatium praebent: delectant domi: non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Ampl. ab exempl. Quod si ipsi 4) haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus: tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

Quis nostrum 5) tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur, qui cum esset 6) senex mortuus: tamen 7) propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse.

Ampl. a medit. Ergo 8) ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: 9) animorum incredibiles motus 10) celeritatemque ingeniorum negligemus?

Ratio medit. Quoties ergo hunc Archiam 11) vidi, judices, utar enim 12) vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam deligenter attenditis: quoties ego hunc vidi: cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, 13) quae tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties revocabam eandem rem 14) dicere commutatis verbis atque sententiis. Quae vero accurate 15) cogitateque scripsisset: ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent.

Ampl. a conseq. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?

---

1) Per comparadi·parium. 2) Per distributionem. 3) Per dist. 4) Per prolepsin. 5) A causa stupiditatis. 6) Per plolepsin. 7) A causa admirationis. 8) A minori. 9) Ad majus. 10) Per Synon. 11) Ab effectu. 12) A causa exaggerat. 13) A materia. 14) A forma. 15) Per Synony.

Ampl. a proverbio. Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus: 1) caeterarum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte Constare: Poëtam natura ipsa valere, et 2) mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu afflari?

Ampl. a testim. Ennii. Quare suo jure noster ille Ennius sanctos appellat Poëtas: 3) quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.

Concl. a consect. pedevt. Sit igitur, judices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc Poëtae nomen: quod nulla 4) unquam barbaria violavit.

I m i t a t i o.

Protas. Cum tantos fructus afferat lectio assidua Bibliorum, Christianus ea plurimum delectatur.

Aetiol. ab adjuncto. Caeterae lectiones utcunque utiles esse possunt: Bibliorum vero in utraque fortuna et in utraque vita usum pollicentur.

Ampl. ab exemplo. Si ipsi experiendo has delitias non gustassemus, aliorum nos exempla excitarent. Quis non miretur Gustavum Adolphum, qui in castris cum praeter solitum clausis foribus intra conclave solus egisset, Consiliarius Aulicus, ad ipsum negotii quid relaturus, aperto paululum ostio attente Sacra Biblia legentem, animodvertit, turbare eum veritus januam clausit.

Ampl. a medit. Sed vex levatis oculis agnitum intrare jussit, et meditationes ipsius a se interrumpi veniam petenti dixit: se hic e verbo Dei solatium sibi petere.

Ratio meditat. Nam sentire se, nullis mortalium a Diabolo insidias infensius strui, quam quibus actionum suarum ratio soli Deo sit reddenda.

---

1) Per comparat. 2) Per Synoni. 3) A causa. 4) A subj.

Ampl. a conseq. Quis non suspiceret Heroem inter Martis arma devotum.

Ampl. ab Aphorismo Theologico. Scriptura est mare, in quo elephas natat, agnus peditat. Gregorius.

Ampl. a testim. Davidis. Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis.

Concl. a consect. pedectico. Diligenter legatur Epistola Dei ad homines scripta, in qua Consilium Dei de nostra salute revelatur.

Usus. In commendationibus et exaggerationibus.

Chria XII. Cic. Orat. ad Quirit.

Post reditum.

Protasis. Ego ex adversis multum lucri capio.

Etsi 1) homini nihil est magis optandum: quam prospera, 2) aequabilis, perpetuaque fortuna, secundo vitae sine ullo offensione cursu: tamen, si mihi tranquilla et placata omnia fuissent: incredibili quadam et pene divina, 3) qua nunc vestro beneficio fruor, laetitiae voluptate caruissem.

Aetiol. I. a conscqu. per thesin. Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi?

Per hypothesin. Mihi vero et 4) propter indulgentiam meam, et propter excellens eorum ingenium vita sunt mea cariores: tamen non tanta voluptate erant suscepti: quanta nunc sunt restituti.

Adtiol. II. a consequ. Nihil cuique fuit unquam jucundius, quam mihi meus frater: 5) non tam id sentiebam cum fruebar, quam cum carebam: et posteaquam vos me illi et mihi eum reddidistis.

---

1) Per prolepsin. 2) Per Synonym. 5) A circumstan. 4) A causa. 5) Ab experientia.

Aetiol. III. a conseq. per thesin. Res familiaris sua quemque delectat.

Per. hypothesin. Reliquae meae fortunae recuperatae plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumi afferebant.

Aetiol. IV. a conseq. Amicitiae 1) consvetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique et dies festi quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo.

Aetiol. V. a conseq. Jam vero honos, 2) dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, 3) quanquam mihi nuper clarissima visa sunt: tamen ea nunc renovata illustriora videntur, quam si obscurata non essent.

Aetiol. VI. a consequ. Ipsa autem patria, Dii immortales, dici vix potest, quid charitatis, quid voluptatis habeat?

Ampl. per distribut. Quae species Italiae? quae celebritas oppidorum? quae forma regionum? qui agri? quae fruges quae pulchritudo urbis? quae humanitas civium? quae reipublicae dignitas? quae vestra Majestas? quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar, ut nemo magis.

Ampl. a simili. Sed tanquam bona valetudo jucundior est eis, qui a gravi morbo recreati sunt: quam qui nunquam aegro corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta delectant.

Concl. a consect. doctrin. Quorsum igitur hoc disputo? quorsum? ut inteligere possitis, neminem unquam tanta eloquentia fuisse 4) neque tamdivinoa tque incredibili genere dicendi: qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, 5) quae in me fratremque meum liberosque nostros contulistis, non modo augere, aut ornare, oratione, sed enumerare, aut consequi possit.

Aetiol. I. concl. ab objecto. per comparat. A parentibus id, quod necesse erat, parvus sum procreatus: a vobis natus sum consularis.

---

1) Per congeriem. 2) Per conger. 3) Per prolepsin. 4) Per synonym. 5) A subjecto.

Aetiol. II. ab objec. per comparat. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt: vos spectatum et incredibili pietate cognitum reddidistis.

Aetiol. III. ab obj. Rempublicam illis temporibus accepi-cam, quae pene amissa est: a vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera servatam judicaverant.

Aetiol. IV. ab obj. Dii immortales mihi liberos dederunt: vos reddidistis.

Aetiol. V. ab obj. Multa praeterea a Diis immortalibus optata consecuti sumus; nisi vestra voluntas fuisset, omnibus divinis muneribus carnissemus.

Aetiol. VI. ab obj. Vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos assecuti: nunc a vobis universos habemus: ut quantum antea parentibus, quantum Diis immortalibus, quantum vobismet ipsis, tantum hoc tempore universo cuncti populo Rom. debeamus.

Rat. concl. ab insinuat. Nam cum in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est: ut eam complecti oratione non possim: tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas; ut non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini.

Imitatio.

Chrysostomus ab exilio revocatus gratulatur sibi et Ecclesiae.

Protasit. Exilii malum mihi solatium praebet.

Aet. I. Episcoopi gaudent Eclesiis suis: Ego redux factus demum iis recte gaudeo.

Aetiol. II. Nihil magis egi, quam ut fides praedicaretur pura: hoc jam audentius desidero.

Aetiol. III. Gratia Imperatoris nuper mihi erepta, nunc reddita est.

Aetiol. IV. Doctrinas, refutationes, adhortationes, reprehensiones, consolationes cupidius multo a me tractabuntur.

Aetiol. V. Suggestum, ex quo orationes sacras habui, gestire me recepto videtur.

Aetiol. VI. Constantinopolis ipsa sinu suo me accipit blandius.

Ampl. per distribut. Ordo Ecclesiasticus, senatorius, civium societatis mihi applaudunt.

Ampl. a simili. Sicut laudes publicae plus mentem afficiunt, quam privatae: sic revertentis plausus acrior est, quam priores commendationes.

Concl. a consect. doctr. Est igitur, quod vobis, o dilectae animae, gratuler.

Aetiol. I. Recepistis non Episcopum, sed patrem vestrum.

Aet. II. Recepistis non timidum, sed igne tribulationis tentatum Episcopum.

Aet. III. Ecclesia vestra me ejecto langvebat: hodie vigorem pristinum recipit.

Aetiol. IV. Deus mihi filios meos in Domino reddidit.

Aetiol. V. Pendebitis ab ore Chrysostomi vestri.

Aetiol. VI. Pergam doctrinam salutis vobis impertire.

Rat. Concl. Nec enim de impensissimo amore mei dubito, nec de precibus pro mea vita fusis.

Usus. In Exaggerationibus, laudationibus, et vituperiis.

Chria XIII. Mureti Orat. X. Vol. I.

Exordium a fine. Ego ad studia toto pectore amplectenda paucis vos cohortabor, neque committam, ut ad iucundam, aut ad persequendam pulcherrimam ac fructuosissimam studiorum viam ullo aut loco, aut tempore mea vobis cohortatio defuisse videatur.

Protasis. Dubitatis igitur, adolescentes, quin ad harum rerum cognitionem adipiscendam omnis vobis diligentia suscipienda

omnis labor perferendus, omnis corporis voluptas negligenda, omnis aliarum rerum cura eiicienda sit.

Aetiologia ab honesto et jucundo. Ubi quaeso istam egregiam indolem, quam in plerisque vestrum videmus, ubi istud ingenium ad omnia summa natum, ubi istam partem aetatis ad concipienda virtutis doctrinaeque semina omnium aptissimam aut honestius aut svavius aut fructuosius collocare poteritis?

Rat. aetiol. Quid enim est, quo quisquam delectari, quo ad discendum invitari atque allicipossit, cujus non in hisce quotidianis disputationibus nostris copiam reperire aliquam liceat?

Ampl. a dist. obj. Est, quem arduarum rerum et remotarum a cognitione vulgi accurata tractatio capiat. Talia nobis plurima in animi partibus excutiendis, in principiis humanarum actionum evolvendis, in patefacienda sapientiae scientiaeq naturа necessario tractanda erunt. Est, quem non tam ardua et sublimia, quam in quotidiano usu posita et ad instituendam vitam accommodata delectent? utilissimis ad vitam praeceptis aures eorum, qui me audient, quotidie personabunt. Est, cui antiquitatis cognitio et veteris historiae commemoratio jucunda sit? At nos quidem scitis, vix ullum praeceptum tradere solitos esse, quin ei illustrando repetitam e Graeca Romanaque historia exemplorum lucem adhibeamus. Poëtarum alius amoenitate ducitur? Nos vero exoptimis utriusque lingvae Poëtis pulcherrima quaeque libantes pereptuo disputationes nostras ejus quasi salis aspersione condimus. Graecam lingvam amat aliquis?

Aristotelem hic quotidie graece loquentem audiet: qui ea lingva dictus est aureum orationis flumen fundere. Latinam anteponit alius? Dabimus nos quidem operam, ut ex optimis Graecis non pessima latina faciamus, ne quis a nobis audiendis tanquam in latine loquendo non satis diligentibus absterreatur.

Concl. repetit adhortationem oblique. Omninoque quicunque tantam huc animorum alacritatem tantamque discendi cupiditatem afferent: quantam ego rerum optimarum varietatem et quantum perspicue docendi studium afferam: faxo nunquam eis veniat in mentem, quod docenti mihi assiduam operam dederint, poenitere.

Imitatio.

Professor Theologiae lectiones Theologicas praefatur.

Exordium a fine. Ego vos, studiosi, ad Theologiae studium adhortor.

Protasis. Omnem huc ergo operam impendite.

Aetiol. ab honesto et jucundo. Non honestior, non jucundior vobis sit labor.

Ratio Aetiol. Deum nosse, animam summa svavitate perfundit.

Ampl. a distrib. obj. Ardua et sublimia in mysteriis; morum praecepta in magna copia: antiquae Ecclesiae faciem, Poëtas quoque saeros in Davide et Salomone, denique et lingvam sanctam et Graecam inveniet.

Concl. repetit Prot. Estote tam attenti auditores, quam ego fidus interpres.

Usus. In demonstrationibus, exprobrationibus, reprehensionibus.

Chria. XIV. Muret. Orat. I. Vol. I.

Theologia plena est amoenitatum.

Prot. Si quis eam, quae ex levioribus studiis percipitur, amoenitatem requirit, ne eam quidem in feracissimis Theologiae campis frustra desideraverit.

Aetiol. 1. *ab obj.* Nam sive poëticis modulationibus aures mulcere meditamur, quis unquam ita in hoc genere excelluit ut eum Davide comparatus non sordeat?

Amplif. a confut. Ironica. Nisi forte Orpheum, Homerum, Pindarum, de levissimis plerumque nugis verda fundentes audire praestat, quam illum Deo aeceptissimum regem, nunc Dei laudes plena hilaritatis ratione referentem: nunc ejusdem auxilium in summis suis difficultatibus implorantem, nunc insectantem improbos, nunc commendantem probos, nunc ea quae multis postea seculis contigerunt ita subiicientem oculis, ut nullus ea melius Apelles in tabula expingere potuisset.

Aetiol. 2. ab objecto. Sive Historiae cognitione ducimur, unde veriores, unde scitu digniores historias, quam ex S. literis repetere poterimus.

Ampl. a confut. iron. An vero svavius est cognoscere, quid Croeso in Medos, quid Pyrrho in Romanos expeditionem paranti oblique Apollo, quam quod Mosi ad pharaonem, quid Samueli in Palaestinos proficiscenti aperte ac perspicue Deus ipse responderit? quomodo Regulus a Carthaginensibus, quam quomodo Servator et σωτῆρ humani generis Christus a Judaeis crudelissimorum suppliciorum genere divexatus fuerit? Jucundiusne aut fructuosius arbitramur intelligere, quibus Assyrii, quam quibus Augustissimi illi nostrae religionis principes aliique deinceps innumerabiles eorum vestigia secuti Christianae ditionis terminos ampliaverint?

Apl. a medit. per admirat. O hebetes ac stupidos, aut, ut verius dicam, miseros et perditos, si qui harum rerum svavitatem fructumque non sentiunt! Contra o ter et quater beatos illos, quorum ita est affectus animus, ut nusquam suavius, quam in his studiis conquiescat! non eos aut inanium voluptatum illecebrae molliunt, liberi et pravis omnibus cupiditatibus soluti, ex illo perenni puteo aquam aeternae vitae effectricem hauriunt, ex illis perpetuo virentibus campis flores svavissimos colligunt, ex quibus qui odores afflantur, eorum nunquam intermoritura est svavitas: Deo serviunt, Deo adhaerent, ejus tantum gloriae velificantur ac fruuntur, quaeque olim plane percep-

turi sunt gaudia, ea jam nunc mente ac cogitatione percipiunt.

Ampl. a medit. per judicium. Ergo sive domi sive foris versentur, cum Deo assidue colloquuntur: sive prosperis rerum utantur Successibus: eidem ut prosperitatis suae autori gratias agunt: sive quid eis adversi accidit, (quamquam quid ejusmodi viris accidere adversi queat?) sed tamen si quid eis accidit earum rerum, quas vulgus adversas vocat, neque indignantur, neque concidunt animis, sed verbo divino se solantes, quicquid a Deo immittitur, summi beneficii loco habendum esse ducunt.

Ampl. a medit. per admir. Proh Deum immortalem, quid est si hoc non est feliciter vivere, et in terris vitam coelestium imitari! O vitae Theologia dux! O virtutum omnium parens! vitiorum expultrix, animorum liberatrix! quid sine te non modo nos, sed omnino vita hominum esse potuisset? Tu depravatas impurissimis opinionibus hominum mentes velut de integro interpolasti: tu distractos dissipatosque variis idolorum cultibus homines in unius verae religionis Societatem convocasti: Tu magistra morum et disciplinae fuisti: ac veluti Sol exoriens nubium caliginem dissipat: velut sidus, quod Castoris et Pollucis dicitur, exortu suo maris rabiem placat, tempestatesque dispellit: ita tu divinitus exorta et tenebras ignorantiae dissipasti, et illo tuo salutari fulgore procellas veterum superstitionum dispulisti. Tu nobis velut Helice aut Cynosura quaepiam es, ad quam universus navigationis, i. e. vitae nostrae cursus dirigatur. Tu ignis ille coelestis es, quem verus ille Prometheus, i. e. Christus in terras attulit, sine quo vita constare non potest. Tu et vitae tranquillitatem largita nobis es, et mortis terrorem sustulisti.

Concl. a consect. doctr. Beatos igitur, qui ad te, tamquam ad portum, confugiunt! beatos, qui se tibi a teneris ungviculis penitus totosque tradunt! miseri contra, qui ut proci Homerici

ancillarum amoribus irretiti, te, quae omnium artium Domina es, negligunt.

Ratio. concl. Tu enim earum rerum scientiam profiteris, quarum plena cognitio aeternam beatitudinem, ignoratio exitium aeternum hominibus pollicetur.

Imitatio.

Prot. Magnum patrimonium est animus sua sorte contentus.

Aetiol. 1. ab objecto. Paupertas tali non sit opprobrio, sed solatio.

Ampl. a confut. ironica. Nisi forte Croesus beatior Solone, Xanthus Aesopo, Alexander Diogene, Plautus hero suo, Epictetus Epaphrodito haberi debeat.

Aetiol. 2. ab obje. Honoris absentia nihil obest contento animo.

Ampl. a confut. iron. Num splendidius est Salomonem in purpura conspicari, quam Davidem pedo pastorali? Epulonem bysso amictum, quam pannis laceris obsitum Lazarum? Josephum in carcere sordidum, quam equo alto invectum, annuloque regio splendentem?

Ampl. a medit. per admir. O stolidos hanc Philosophiam negligentes! Sapientes, qui ejus percipiendae sunt cupidi!

Ampl. a medit. pex judic. Sive sub dio, sive sub tectis, mari terrave in custodia, vel sub aura libera vivant, beati sunt.

Ampl. a medit. per admir. Egregia virtus, quae animum ita serenat et placat, Corycium nemus, portus tutus, statio gratissima, asylum certissimum, et umbraculum quoddam est.

Concl. a correct. Pedevt. Discite eam virtutem omnes, qui miseriam vultis superare.

Usus. in exaggerationibus, Laudationibus et comendationibus.

3.

DE CHRIA PER ANTECEDENS ET CONSEQUENS.

Quando Aetiologia suae protasi praeponitur, vocatur chria inversa, et quidem per antecedens et consequens. Nam Thema vocatur consequens; occasio aut probatio thematis antecedens, utrumque connecti potest per rationem, quae idcirco appellatur connexio. Antecedens, connexio, consequens sexies transponi possunt, nempe. 1.) Antecedens, connexio, consequens. 2.) Antecedens, consequens, connexio. 3) connexio, Antecedens. consequens. 4) connexio, consequens, Antecedens. 5.) consequens, connexio, Antecedens. 6.) consequens, Antecedens. connexio. ... singuli termini juxta chriam ordinatam amplificari possunt.

Chria I. Ex Cicer. Offic. I.

Cicero adhortatur Marcum filium, ut libros suos de officiis studiose legat.

Antecedens. Quanquam te Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis abundare oportet praeceptis institutisque Philosophiae, propter summam et doctoris autoritatem et urbis: quorum alter te scientia augere potest, alter exemplis.

Connexio 1. Tamen ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis latina conjunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci:

Consequens 1. Idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate.

Connexio 2. Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attulimus adjumentum hominibus nostris; ut non

modo graecarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos et ad dicendum et ad judicandum.

Consequens 2. Quamobrem disces tu quidem a principe hujus aetatis Philosopho: et disces quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit.

Consequ. 3. Sed tamen nostra legens non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique et Socratici et Platonici esse volumus, derebus ipsis utere tuo judicio, nihil enim impedio. Orationem Latinam efficies profecto legendis nostris scriptis pleniorem.

Imitatio. 1.

Pater filium Lipsiae philosophantem ad graecam linguam addiscendam adhortatur.

Antecedens. Studuisti hactenus Lipsiae:

Connexio 1. Sed ut ego graeca non omisi:

Consequens 1. Ita tu patrem sequere.

Conexio 2. Ego ipse in hoc genere te multum juvi.

Consequens 2. fac, ut graeca quoque percipias.

Consequens 3. Sic Latinitatem perfectiorem facies.

Imitatio. 2.

Patronus studioso Vitebergensi svadet, ut Theologiae se consecret, et scripta Thelogorum legat.

Antecedens. Vitteberga, optima alumna scientiarum, te sapientem reddiderit.

Connex. 1. Ipse Theologiae operam dedi.

Conseq. 1. Itaque et tu idem studium sectare.

Connex. 2. Cum scripta Theologorum legenda sint.

Conseq. 2. Igitur tu ea legas.

Conseq. 3. Sic magis progredieris.

Usus, in svasionibus, dissvasionibus, adhortationibus, et dehortationibus.

Chria II. Muret. Orat. XXI. Vol. I.

Muretus Eloquentiae professionem susceptur̃us est.

Connexio. Jus civile me non vulgari via, sed nova quadam et ante me in his quidem scholis inusitata ratione tradere ingressum, et in opere institutoque pulcherrimo quartum jam annum, magna auditorum frequentia, magna animi contentione versantem, vestra Cardinales amplissimi, in medio cursu insistere, aliudque munus suscipere coegit autoritas.

Antecedens. Nam cum homo eruditissimus, qui tradendis eloquentiae praeceptis in hac urbe consenuerat, et ipsa jam aetate otium ac quietem postulante, missionem a vobis honestissimam impetrasset: mihi potissimum mandandam esse ab eo derelictam provinciam censuistis.

Cons. Parebo libens, ut debeo, autoritati vestrae: neque mihi quicquam unquam a vobis imponetur aut oneris, quod non ego prompto atque alacri animo subeam: quaeque mihi a vobis imperata erunt, nunquam aut aspernabor ut nimis humilia, aut ut nimis ardua extimescam.

Ratio conseq. ab adjuncto. Vestrum est decernere et statuere, quam a quoque vestrum hujus quasi reipublicae literariae partem administrari ac procurari velitis: nostrum parere et mandata vestra subsequi, neque unquam ita nobis placere, aut tantum nobis tribuere, ut de vestro judicio judicemus.

Ampl. a subjecto. Equidem, quod ad me attinet, neque illam artem, quae quidem hominis ingenui studia digna sit, sordidam et abjectam esse duco: et hanc, ad quam tradendam nunc vocor, semper nobilissimam existimavi: et si aliter sentirem, fortassis tamen non vererer imitari Laconem illum, qui in convivio extremo loco jussus accumbere, convivatoris ingenium ac judicium commendavit, qui rationem excogitasset, quo illi quoque loco dignitatem compararet.

Ratio per Argutias. Non enim tantum, ut vulgo dicitur, magistratus virum ostendit et in lucem hominum collocat, sed etiam saepe Magistratum is, qui eum gerit, exornat.

Ampl. ab exemplo. Epaminondam ferunt, cum a civibus suis Telearchus creatus esset, (erat is apud Thebanos non magni momenti Magistratus) non detrectasse, sed dixisse ita gesturum, ut deinceps Telearchia honoratior haberetur.

Ampl. ab eventu. Atque ita effectum est.

Ratio. Tantum enim Epaminondae valuit autoritas, ut post eum Telearchi perpetuo creati sint ex principibus civitatis.

Ampl. per praeterit. Haec et alia dicerem, si in eloquentiae professione parum inesse dignitatis existimarem.

Ampl. a medit. per judic. Sed et de re ipsa et de me longe mihi alia opinio est.

Ratio. Quamvis enim non inficior, magnum me semper amatorem atque admiratorem disertae atque ornatae orationis fuisse, studioseque in eam rem operam dedisse, etiam si vultis, aliquando imposuisse populo, et apud eos, qui me cum deterioribus comparabant, in aliquam non infantis neque indiserti hominis opinionem venisse; vereor tamen, ne exemplo meo comprobem id, quod tradunt rei militaris scriptores, etiam veteranos milites pro tyronibus habendos, cum diu a pugnando cessarunt.

Concl. repetit conseq. Sed quoniam id tantum a me expectari et requiri puto, primum ut vobis, adolescentes, indicem ac commonstrem eas vias, quibus ad eloquentiam posse arbitror perveniri: deinde ut ad superandam earum difficultatem, quantum in me erit, siquid modo erit, (neque autem multum, neque tamen nihil omnino fere confido) auxilio sim: suscipiam ac subibo paulo majori cum fiducia onus id, quod mihi, si meum perpetuum publicae utilitatis studium divinae benignitatis aura comitetur, utrumque posse videor sustinere.

Imitatio.

Johannes Chrysostomus, defuncto Nectario, Imperatoris jussu Constantinopolim accitus, et Episcoporum autoritate Ecclesiae gubernacula suscipere coactus, Episcopos alloquitur.

Connexio. Presbyteri dignitatem usque ad hoc tempus pro virili mea gerens nutu Imperatoris in urbem trahor, ut praesim Ecclesiae.

Antecedens. Nectarius enim praesul laudatissimus mortem obiit.

Conseq. Cogor parere jussui Imperantis autoritatique tot Episcoporum: et videbo quo pacto fiam aptus ad augendam gloriam Dei.

Ratio conseq. Ideo me potissimum elegistis, ut mala multa tolerem: quibus proinde reluctari amplius non possum.

Ampl. a subjecto. Equidem nullius odium aut invidiam metuo, neque vereor imitari Paulum in praefractarios fervide invehentem.

Rat. per argut. Non tam me provocabit dignitas episcopalis, quam ego dignitatem.

Ampl. ab exemplo. Trajanus Imperator cum pro more Praefecto praetorii tradidisset gladium, adjecit: hoc pro me, si juste imperavero: si perperam, in perniciem meam utere.

Amplif. ab eventu. Et optime semper ille gubernavit.

Ratio. Talem enim se gessit, ut vox populi nasceretur, Imperatori novo acclamantis: Sit felicior Augusto, melior Trajano.

Ampl. per praeter. Dicerem plura et de aliis, nisi id non necessarium esse viderem.

Amplif. a medit. Gladium spiritualem i. e. munus summi Episcopi mihi datum pari constantia et fortitudine in me recipio.

Rat. Licet enim semper coelestia inter homines propagare nisus sum: tamen nunc maxime id a me fieri debet.

Concl. repetit cons. Pareo igitur, et ita pareo, Episcopi, ut universa Thracia 6„ Praefecturis divisa: tota Asia, quae ab „11„ Praesidibus regitur, mea autoritate constitutiones Ecclesiasticas servent, aula, et civitas Constantinopolitana vitiis purgetur, idololatria et haeresis expugnetur.

Usus. In promissionibus, officii et adhortationibus.

Chria III. Ex Cicer. Orat. I. in Catil.

Antecedens. Quousque tandem abuteris, Catilina, patientia nostra? Quam diu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium, praesidium palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum omnium ora vultusque moverunt? patere tua consilia non sentis? Constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

Connexio. O tempora! O mores! Senatus hoc intelligit: consul videt.

Conseq. 1. Hic tamen vivit: vivit? imo vero etiam in Senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum.

Conseq. 2. Nos autem viri fortes, tat sfacere Reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus.

Conseq. 3. Ad mortem te, Catilina, duci jussu Consulis jam pridem oportebat: in te conferri pestem istam: quam tu in nos omnes jam diu machinaris.

Ampl. ab exemplo. An vero Vir amplissimus p. Scipio pontifex Max. Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem

statum Reipublicae privatus interfecit? Catilinam vero orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos Consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo: Quod Qu. Servilius Hala Sp. Melium novis rebus studentem manu sua occidit.

Ampl. a thesi. Fuit, fuit, ista quondam in hac republica virtus: ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coërcerent.

Ampl. ab hypoth. iron. Habemus enim Sctum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicae consilium neque autoritas hujus ordinis. Nos, nos, dico aperte, Consules desumus.

Ampl. ab exemp. Decrevit quondam Senatus: ut L. Opimius Consul videret: ne quid respublica detrimenti caperet.

Ampl. a Circumst. Nox nulla intercessit: mox interfectus est propter quadam seditionum suspiciones G. Gracchus clarissimo patre natus, avis majoribus: occisus est cum liberis M. fulvius consularis.

Simili Scto C. Mario et L. Valerio Consuli permissa est respub. Num unum diem postea L. Saturninum Tribun. pleb. et C. Servilium mors et reipublicae poena remorata est?

Ampl. ab hypoth. At nos vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum autoritatis.

Ratio. Habemus enim hujusmodi Sct. verumtamen inclusum in tabulis, tanquam in vagina reconditum: quo ex Scto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit.

Ampl. a cons. Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.

Imitatio 1.

Mater Veturia Martium Coriolanum filium Romam oppugnantem suis lachrymis exarmare studet. *Livius.*

Antecedens. Tu, fili, patriam, penates, matrem, coniugem, filios oppugnas?

Conexio. O improbitatem! locum natalem is perditum?

Cons. 1. Nihilo secius non cessas arma capere, militemque adversus nos educere.

Cons. 2. Nos jam intra moenia animam agimus.

Cons. 3. Quam nobis intentas vim, in te reiici conveniebat.

Ampl. ab exemp. Tarquinium Superbum ejecimus ob saevitiam: tene inferentem arma patriae ut feramus? Neque dicam, quod Brutus Aruntem filium regis Tarquinii sua manu occiderit.

Ampl. a thesi. Olim in republica nostra turbatores pacis publicae statim ejecti sunt.

Ampl. ab hypoth. iron. Habemus scilicet cives jam vim omnem patientes sine vindicta.

Ampl. ab exemplo. Melius Fuffetius in auxilium contra Albanos accersitus, cum medius inter Romanos et Albanos spectaret fortunam, religatus inter duos currus pernicibus equis distractus est. *Elorus.*

Sextus Tarquinius Lucretiae vim inferens occasionem et sui et patris ex urbe pellendi dedit.

Amplif. ab hypoth. Nos autem te inultum sinamus?

Ratio. Domus enim nostras expugnare vis: ipsum jugulum petis Romani Populi.

Ampl. a conseq. Ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur, nisi filium haberem, libera mortua essem.

Imitatio. 2.

Invectiva in Judam proditorem Domini.

Antecedens. Nondum desistis magistrum, defensorem, patronum, Doctorem, nutritorem, Deum ipsum prodere?

Connexio. O scelus! bene facientem hosti in manus tradis?

Consequens 1. Tamen sacerdotes adis, colloquia seris.

Cons. 2. Jesus autem continuat benignitatem et benevolentiam suam.

Cons. 3. Meritus es jam pridem poenam excommunicationis.

Amplif. ab exempl. contr. An quempiam sociorum tuorum, Petrum, Johannem, Andream, etc. tam nefaria capere consilia vides? nonne potius suo Magistro adhaerent, neque deserere eum decreverunt?

Ampl. a thesi. Est probi Discipuli magistro non modo injuriam non inferre, sed contra etiam quaevis bona in eum conferre.

Ampl. ab hypoth. iron. Quam belle tu, vir bone, virtutem hanc exerces.

Amplif. ab exemplo. Quartum praeceptum pietatem in praeceptorem praecipit: quam horrido supplicio periere pueri Prophetam Elisam irridentes? Quas minas Deus in populum durae cervicis Prophetas exagitantem coniicit? quam gravi poena in captivitate Babylonica id crimen luere coacti sunt?

Ampl. ab hypothe. Et tu fortassis proditionem tam detestandam non impune feres.

Rat. Desperatio te occupabit, proiicies argentum sacrum proditionis pretium, laqueo gulam franges, aeternos cruciatus perferes.

Ampl. a conseq. Vivis igitur in tuam perniciem, infaustus comes malorum daemoniorum.

Imitatio 3.

Reprehenditur currentis aevi cupiditas lucri.

Antecedens. Quo tandem homines commodorum, usura-

rum, lucri, utilitatis studio correpti ruent? an homines? an Christiani homines audire volunt?

Connex. Coelum venditur amore scelerato habendi.

Cons. 1. Non tamen minuitur, sed in dies gliscit monstrum hoc infelix.

Cons 2. Nos interea videmur nobis belluli, si ad rem nostram quotidie fuit accessio.

Cons. 3. Exturbari e republica Christiana ejusmodi gangraena jamdudum debuit.

Ampl. ab exempl. Alexander M. ethnicus dedisse fertur aliquot millia denarium, talenta, armenta, urbes, Satrapas, regiones, principatus, regna. Nos Christiani tum a dando etiam animo abstinemus, tum ad quaestum faciendum toti sumus intenti. Nam veterum Christianorum exempla nolo in scenam producere.

Ampl. a thesi. Olim seminabantur in pauperes beneficia.

Ampl. ab hypoth. Apud nos fere homines aurum sitientes frigent.

Ampl. ab exemplo. Cavit Deus in Lege sua, ne usurae pravae invalescerent. Neque facile audias in populo, qui legem praetergraessus esset.

Quondam inter Christianos ditiores indigentibus agapas et alia munera tribuebant.

Amplif. ab hypoth. Epulas non in amorem, sed in voluptatem amamus.

Rat. Dominatur vel in convivis lucri appetentia.

Ampl. a cons. Annos annis addimus, non in emendationem, sed in pejorem sortem.

Usus in orationibus patheticis.

4.
DE CHRIA PER THESIN ET HYPOTHESIN.

Thesis interdum et Hypothesis et Ratio vocatur amplificatio, Hypothesis, applicatio. Thesis saepe antecedit, interdum sequitur suam hypothesin. — Thesis et hypothesis vel nude proponuntur, vel ad modum Chriae ordinatae ulterius amplificantur.

Chria I. Ex Muret. Orat. 2. Vol. I.

Thesis. O divine Plato, tua sunt omnia et dicta et cogitata praeclara! Tu dicere solebas: tunc demum respublicas beatas fore, cum eas aut Philosophi cepissent regere, aut qui regerent philosophari.

Hypothesis. Tuum hoc sapientissimum Oraculum perpetua jam mille amplius annorum felicitate Venetorum respublica comprobavit.

I m i t a t i o.

Nemini injuriam faciam.

Thes. Juris naturae regula est: ab alio expectes, alteri quod feceris.

Hypoth. Hanc regulam in vita sic observabo, ut neminem laedam.

Usus in exaggerationibus et doctrinis.

Chria II. Ex Muret. Orat. 9. Vol. I.

Thes. a prodigio. Proditum est literarum monumentis, Imperante Constantino, Constantini M. filio, visam esse in coelo

sub specie crucis ingentem columnam coronatam. quae longe lateque collucens, a monte olivarum usque ad eum montem, ubi Christus pro nobis omnibus morte affectus est, pertingeret.

Hypoth. Declarandum est tibi, M. Antoni, rebus ac factis tam insigne prodigium ad te et gentem tuam pertinere.

Rat. a turpi si ommittatur. An vero gentes quaedam antiquis temporibus propter violata majorum suorum sepulchra gravissima bella susceperunt: nos Jesu Christi Domini ac Dei nostri sepulchrum, monumentum salutis nostrae, pignus resurrectionis nostrae ab immundis canibus teneri eisque ludibrio esse patiemur.

Ampl. a contr. Ite potius optimis ominibus generosae ac fortes animae! Ite accensa divinae gloriae studio pectora in videte posteris vestris gloriam ejus terrae, ex qua salus nostra prodiit, ab immanibus belluis receptae ac recuperatae.

Rat. a glorioso. Ubi melius sangvis spargi potest? ubi melius vita deponi? ubi verior ac solidior gloria comparari?

Ampl. per apostroph. in qua ratio inest a facili. O Christe! te appello, in tua manu bellum et pax; in tua manu victoriae, in tua manu regum ac populorum corda sunt. Inspira nostris ardorem pugnandi! da eisdem vim facultatemque vincendi! immitte eam mentem principibus et populis, qui, nondum in hanc sanctam societatem nomina dederunt, ut id primo quoque tempore facere maturent! Non quod tu, qui omnia potes, aut eorum opera aut nostra ad hostes tuos obterendos egeas: sed ut omnes qui tuo nomine gloriantur, in partem aliquam veniant ejus gloriae, quae ex nominis et cultus tui propagatione capietur.

Imitatio. 1.

Judas Maccabaeus Judaeos contra Antiochum irritat.

Thes. Relatum legimus Deum patribus nostris praesto fuisse de die quidem sub nubis, de nocte vero sub ignis columna.

Hypoth. Ita se manifestavit nostrae fortitudinis gratia.

Rat. a turpi. Majores nostri pro occupanda Chananaea tanta bella gesserunt: nos pro defendenda religione segnes et imbelles simus?

Ampl. a contr. Quin e contrario adversis rebus fortia opponite pectora.

Rat. a glorioso. Nunquam vita gloriosius contemnitur.

Ampl. per apostr. Tu vero, Deus admirabilis, custos et tutela Israëlis, inspira ignem populo tuo pugnanti pro tua gloria.

Imitatio. 2.

Johanes Baptista Judaeos studet ad poenitentiam convertere.

Thes. Cum ad Jordanem Messiam vestrum baptizaram, apparuit tota Sanctissima Trinitas, voce Pater, Natus corpore, Flamen Ave.

Hypoth. Vestra causa judaei, visio miraculosa vobis accidit.

Rat. a turpi. Si Jonas Ninivitas iram Dei denunciando ad poenitentiam revocavit: vos tantis miraculis et mea voce non reflectemini?

Ampl. a contr. Confitemini potius peccata vestra, poenitentiam agite, et credite Evangelio.

Rat. ab utili. Ubi tutius salutem animarum quaerere potestis?

Ampl. per. Apostr. Tu vero Spiritus Sancte, illumina mentes errore obsitas, rege corda obstinacia, emolli animos asperos et a viciis ad virtutem reduc gregem tuum.

Usus. in adhortasionibus, exercitationibus, dehortationibus.

CHRESTOMATHIAE LATINAE

PARS POSTERIOR.

EXHIBENS:

I. Orationes Selectas ex Cicerone et Mureto cum adjectione artificii Rhetorici.

II. Orationes breviores ex Livio, Sallustio, Tacito et Curtio excerptas.

III. Locos Morales.

IV. Characteres.

I.

ORATIONES SELECTAE.

I.

EX CICERONE.

I.

IN L. CATILINAM.

ARGUMENTUM

ORATIONIS. I.

IN L. CATILINAM.

L. Sergius Catilina, nobilis genere, et Africae nuper propraetor, luxuria, et quae inde oritur, egestate commotus, urbis incendendae et procerum interficiendorum consilia cepit,

in societatem assumtis Lentulo iterum praetore, Cethego, aliisque nobilissimis viris: nec non nequissimo quoque juventutis Romanae. Aliquoties vero de insidiis, quas in foro et campo Martio consulatus competitoribus struxerat, vel fortunae consiliis deiectus, cum tandem in M. Leccae domo nocturnum conventum ageret et consulis sibi virtutem obstare quereretur; reperti sunt duo equites, qui promitterent, se mane salutandi causa ad Ciceronem ituros ipsumque in lecto occisuros. Haec cum Fuluia quaedam ex amatore, conjurationis socio, vix dum coetu demisso, audiuisset; eadem nocte insidias Ciceroni patefecit, qui clausis foribus percussores summouit, et senatu in aede Jouis Statoris habito grauissima hac oratione Catilinam, qui et ipse in senatum venerat, perstrinxit, et ut in castra Manlii centurionis, quem ad solicitandos Syllae colonos in Etruriam praemiserat, quamprimum discederet, etiam atque etiam hortatus est.

DISPOSITIO.

Mixta est oratio ex vituperatione, et suasione, nisi malis priorem illam partem ad invectivas referre.

TRACTATIO (caret enim Exordio oratio) in priore parte hoc agit: Quanquam ad mortem te duci, catilina, jampridem oportebat, n. 2. exemplo majorum, n. 3. 4. tamen certa de causa nondum adducor, ut hoc faciam n. 5. Antecedens ex circumstantiis patefactae conjurationis probat n. 7. seq.

Altera pars suadet, ut urbe catilina excedat, quod infamia, n. 13. ruina fortunarum. n. 14. scelerum manifestatione, n. 15. odio omnium bonorum, n. 16. 17. et universae patriae (quam per Prosopopoeiam inducit) n. 18. etiam sua ipsius conscientia, quae se custodia dignum putavit, n. 19. tandem senatus voto, n. 20. (ubi quaestio immiscetur, utrum praestet in exilium, an in castra proficisci, quorum illud invidiam Ciceroni, hoc laudem dicitur afferre. n. 23.) denique suorum

quos praemiserat, desiderio, suisque institutis, n. 24. 25. ad abitionem urgeatur et compellatur.

Porro rationem sui consilii subjungit elegante Prolepsi et Prosopopoeia, quasi patria reprehendat Ciceronem, quod principem conjurationis viuum dimiserit, n. 27. seq. Respondet vero, fore hoc modo, ut peste nefaria liberetur respublica, dum ex insidiis in apertum latrocinium educantur omnes mali, n. 30.

CONCLUSIO repetit, quae crebro inspersa fuerat, Propositionem, suadendo et hortando, ut exeat cum sociis Catilina, n. 33. Deinde precatur jouem, ut urbem defendat, n. 33.

ORATIO I.

IN L. CATILINAM HABITA IN SENATU.

Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium [1]) palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus [2]) locus, nihil horum ora vultusque mouerunt? patere tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum conscien-

---

1) Palatii) Regionis et montis Rom. nomen. Suet. Aug. 5. et 72. Privatas tum domos continuit, Hortensii, Suet. c. 72. et ipsius Catiltnae, idem de. Gram. c. 17. Quod vero Augustus hic in domo Hortensii habitauit, tandem Palatium *βασιλείος* seu arci imperatoriae, priuatis aedibus substructione noua et publica abolitis, concessit. Adde Casaub. in dict. c. 72.

2) Hic munitissimus locus) Aedes jouis Statoris, (infra n. II. et Orat. 2. n. 12) quae (et initio Sacrae siae, qua ad palatium itur. Plutarch. in Cic.

tia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o mores! 2. senatus haec intelligit, consul videt, hic tamen vivit. Vivit? imo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem viri fortes satisfacere reipubl. videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci jussu consulis jampridem oportebat; in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus P. [3]) Scipio, pontifex maximus, 3. Tib. Gracchum, mediocriter [4]) labefactantem statum reipublicae, [5]) privatus, interfecit; Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus? nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius [6]) Ahala Sp. Melium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus enim S. C. in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicae consilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus. II. Decrevit quon-

---

3) P. Scipio Tib. Gracchum) Scipio Nasica P. M. senatu et populo comitante Tib Grachum Capitolio deturbanit, ot subselii fragmento interfecit, Appian. 1. Ciu. f. 162. Flor. 3. 14. Val. Max. 1. 4 2. vellejus 2. et 3.

4) Mediocriter labefactantem) Excusatenim quodammodo etiam Florus c. I.

5) Priuatus) Pontificatus enim magistratus non erat. Muretus potis ad h. l. consulatur.

6) Q. Servilius Ahala) Magister equitum. Sp. Melitum, largicionibus regnum affectantem, occidit, Liu. 4. 14.

dam 4. senatus, ut L. [7]) Opimius cos. [8]) videret, ne quid respublica detrimenti caperet: nox nulla intercessit, interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus clarissimo patre, avo, majoribus; occisus est cum liberis M. Fulvius [9]) consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio coss. permissa est respublica: num unum diem postea L. Saturninum [10]) tribunum pl. et C. Servilium praetorem mors ac reip. poena remorata est? At nos vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatus consultum, verum tamen inclusum in tabulis, tanquam in [11]) vagina reconditum, quo ex S. C. confestim interfectum te esse Catilina, convenit. Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, P. C. me esse clementem, cupio in tantis reip. periculis non dissolutum videri: sed jam me ipsum inertiae nequitiae que condemno. 5. Castra sunt in Italia contra remp. in [12]) Etruriae faucibus collocata: eorum autem imperatorem, castrorum, ducem que hostium intra moenia, atque adeo in senatu videmus, intesti-

---

7) L. Opimius cos.) jussus senatus consulto remp. defendere (philip. 8. n. 14.) C. Grachum. mortis et legum fratris Tiberii vindicem, oppressit, Flon. 3. 15.

8) Consul videret, ne) Salust. Cat. cap. 29. Quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decreuit. darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet, Adde Siuium 3. c. 4.

9) M. Fuluius) Flaccus, C. Gracchi collega et seditionis particeps. l. Ciu.

10) L. Saturninum) L. Apulejum Saturninum unde Apulejana seditio dicitur. Flor. 3. 16. De hoc et Seruilio Glaucia etiam Velle. 2. 12. verbosius Appian. 1. Ciuil. Epit. Siu. 69.

11) Tanquam in vagina) ita Mss. vulgo: tanquam gladium in vagina, quod glossam recentem sapit Cruter.

12) In Etruriae faucibus) ad Faesulas, ubi castra erant Manliana, Apennio Etruriam quasi in fauces comprimente.

nam aliquam quotidie perniciem reipubl. molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, si interfici jussero, credo erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius, factum esse dicant. Verum ego hoc, quod jam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficiam te, cum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. 6. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives: et vives ita, ut nunc vivis, multis meis, et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rempubl. possis: multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient. III. Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? muta jam istam mentem, mihi crede, obliuiscere caedis atque incendiorum: teneris undique, luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quae etiam mecum licet recognoscas. 7. Meministi ne me ante diem XII. Kalend. Novemb. dicere in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI. Kal. Novembris, C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? num me [13]) fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, caedem te optimatum contulisse in ante diem V. Kal. Novembris, tum, cum multi principes civitatis Romae, non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa [14]) profugerunt. Num inficiari

13) Num me fefellit etc.) Ita vero euenisse affirmat Sallust. Cat. c. 30. qui de die etiam consentit.

14) Profuderunt) M. crassus aliique literis incerti auctoris moniti fuerant ut urbe excederent, quia magnae in urbe caedes futurae essent. plut.

potes, te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempub. non potuisse? cum tu discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas. 8. Quid? cum tute [15]) Praeneste Kalend. ipsis Novembris occupaturum nocturno impetu esse consideres, sensistine illam coloniam meo jussu, meis praesidiis, custodiis vigiliisque esse munitam? nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam planeque sentiam. IV. Recognosce mecum tandem illam superiorem noctem: jam intelligis, multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipublicae. Dico te priori nocte venisse inter [16]) falcarios (non agam obscure) in M. [17]) Leccae domum, convenisse eodem complures, ejusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? convincam, si negas. Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuere. 9. O dii immortales! ubinam gentium sumus? quam rempubl. habemus? in qua urbe vivimus? hic, hic [18]) sunt in nostro numero, P. C. in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de meo, nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republ. sententiam rogo: et quos ferro trucidari oportebat, eos non-

15) Praeneste occupaturum) Silent de hac re historiae, fatente Mureto. Erat autem praeneste colonia, Roma GG. stadiis distans, natura et arte munitissima, refugium sediciosorum. *Καταφεύγουσι γὰρ ἐκεῖσε οἱ νεωτερίσαντες.* Quo confugere solent qui res novas moliuntur. Strab. v. f. 165. Adde Vellei. 2. c. 26. et 74.

16) Inter falcarios) Turnebo (lib. 3. c. 15.) et Mureto est vici nomen, in quo sita fuit Leccae domus.

17) In M. Leccae domum) Sallust. cap. 27. et Cicero pro Syllanum 52.

18) Hic, hic sunt) Notat senatores conjurationis socios, quos Sallustius nominat c. 17.

dum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam ea nocte, Catilina: distribuisti [19]) partes Italiae: statuisti, quo quemque proficisci placeret: delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis [20]) partes ad incendia: confirmasti, te ipsum jam esse exiturum: dixisti, paululum tibi esse etiam tum morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo [21]) equites Romani, qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. 10. Haec ego omnia, vix dum etiam coetu vestro dimisso [22]) comperi: domum meam majoribus praesidiis munivi atque firmavi: exclusi eos, quos tu mane ad me [23]) salutatum miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego jam multis ac summis viris ad me venturos id temporis esse praedixeram. V. Quae cum ita sunt, Catilina, perge, quo coepisti, egredere aliquando ex urbe, patent portae, proficiscere: nimium diu te imperatorem illa tua Manliana castra desiderant: educ

---

19) Distribuisti) Orat. 2. in Cat. n. 6. et Orat. 3. n. 14. Sallust. c. 27.

20) Descripsisti urbis partes ad incendia) Salustius cap. 43. duodecim simul opportuna loca urbis incenderent. Plutarchus in Cic. habet ἑκατὸν μέρη, centum partes.

21) Quo equites) C. Cornelius eques, et L. Varguntejus senator, Sallust. cap. 28. De priore res certa est ex Orat. pro Sylla cap. 18. De senatore plus fidei est Ciceroni, quam Salustio, (aut Plutarcho, qui prorsus alios nominat) habendum.

22) Comperi) per Fuluiam, Curii, socii conjurationis, amicam. Sallust. c. 28.

23) Salutatum) Principes vero Romae quoslibet mane non solum amici, quibus intimus accessus patebat, sed et plebs salutatura conveniebat, et brumali quidem tempore plerumque πρωϊμέρας antelucanis horis, Herodian. 7. 6. Hinc seneca Epist. 84. Lucilio scribit: intueris illas potentium domus, illa tumultuosa, rixa SALUTANTIUM, limina. Et Epist. 19. migrabis ad aliud limen SALVTATOR.

tecum etiam omnes tuos; si minus, quam plurimos: purga urbem, magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit: nobiscum jam versari diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. 11. Magna dis immortalibus habenda est gratia atque huic ipsi Jovi Statori, 24) antiquissimo custodi hujus urbis, quod hanc tetram, tam horribilem, tamque infestam reipublicae pestem toties jam effugimus: non est saepius in uno homine 25) (salus) summa periclitanda reipublicae. Quamdiu mihi, consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi; cum proximis 26) comitiis, consularibus me consulem in 27) campo, et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato; denique quotiescunque me petiisti, per me tibi obstiti, quanquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse conjunctam. 12. Nunc jam aperte rempublicam universam petis, templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium et vastitatem vocas. Quare, quoniam id quod primum, atque hujus imperii, disciplinaeque majorum proprium est, facere nondum audeo; faciam id, quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem utilius. Nam si interfici te jussero, residebit in republica reliqua conjuratorum manus: sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe exitu tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipubli-

24) Antiquissimo custodi) ipse enim Romulus Jovi Statori templum bello Sabino vouerat, Liu, 12. et

Ante Palatini condidit ora jugi.

i. e. in radice collis Palatini, Ouid. 6. Fast. fin.

25) Salus) haud dubie magistri alicujus glossema.

26) Comitiis consularibus) quibus Silanus et Muraena disignati, excluso Catilina. Sallust. 26.

27) In campo) Martio, comitiis creandorum magistratuum sacrato.

cae. VI. Quid est, Catilina? num dubitas id, me imperante, facere, quod jam tua sponte faciebas? exire ex urbe consul hostem jubet: interrogas me, num in exilium? non jubeo; sed si me consulis, suadeo. Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit, in qua nemo, est extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo, qui non oderit? Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret [28]) in fama? quae libido ab oculis, quod facinus ab manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abluit? cui tu, [29]) adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem praetulisti? 14. Quid vero nuper cum morte superioris uxoris, novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio [30]) incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris inusitatas aut extitisse, aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis [31]) idibus senties. Ad illa venio, quae non ad privatam

28) Haeret in fama) Lectio est Turnebi 30, Aduers. c. 15. quam Lambinus docuerat. Scita Gruteri conjectura: non inhaeret tuae famae.

29) Adolescentulo) Sallust. c. 14. maxime adolescentum familiaritates appetebat etc. Adde eund. cap. 16.

30) Incredibili scelere) vel, quod filium necaverit, intelligendum est ex sallust. c. 15. vel quod suam ex stupro filiam duxerit, quod oratio in toga candida, cujus fragmenta Asconius, servauit. recenset.

31) Proximis idibus) Petrus Pithoeus Aduers. Subsec. lib. 2. cap. 4. ex antiquo glossario refert, foeneratorum hanc olim fuisse consuetudinem, ut ultra statutum kalendarum diem in idus concederent dilationem: itaque fieri solitum, ut quae in calendas foeneraverunt, idibus reciperent et relegerent. Haec Pithoeus. additque exemplum ex Horatii dep. 2. fin.

ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summa reipublicae, atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent. 15. Potest ne tibi hujus vitae haec lux, Catilina, aut hujus coeli spiritus esse jucundus, cum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie Kalend. Jannuar. Lepido et Tullo [32]) coss. stetisse in [33]) comitio cum telo? manum, consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum sed fortunam, [34]) reipubl. obstitisse) At jam illa omitto: neque enim sunt aut obscura aut non multo postea commissa. Quoties tu me designatum, quoties me consulem interficere conatus es? quod ego tuas [35]) petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, et, ut ajunt, corpore effugi? Nihil agis, nihil adsequeris, nihil moliris, quod mihi latere [36]) valeat in tempore: neque tamen conari ac velle desistis. 16. Quoties jam tibi extorta est sica ista manibus? quoties vero excidit casu [37]) aliquo et elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas [38]) consulis in corpore defi-

---

32) Lepido et Tullo) vide Sallust. c. 18.

33) In comitio) Definiente Asconio in 3. Verr. est locus in foro propter senatum, quo coire equitibus et populo Rom. licet. Antiquitus hic jus dictum fuit, etiam Curiata comitia habita.

34) Fortunam obstitisse) qua Catilina maturaverat sociis signum dare, antequam frequentes convenissent, Sallust. c. 18.

35) Petitiones) gladiatorium verbum.

36) Mihi latere valeat in tempore) Prorsus absunt haec verba a quibusdam codicibus: alii solum demunt in tempore, et pro mihi ME substituunt.

37) Casu aliquo) Vide quae de maturato signo nota 34. ad n. 15. diximus.

38) Consilii) Sententia est: videris alicui deo vovisse. te sicam illam in consulis alicujus corpore defixurum. Cottam enim et Torquatum, deinde me illa tollere conatus es. Salust. c. 18.

gere. VII. Nunc vero quae tua est ista vita? sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo; sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum: quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis expectas contumeliam, cum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? Quid? quod adsidunt tuo isti subsellia vacuefacta sunt: quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simulatque adsedisti, partem istam subsellionum nudam atque inanem reliquerunt. 17. Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercule, mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? Et, si me meis civibus injuria suspectum tam graviter, atque offensum viderem, cavere me aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem: tu cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium justum et jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum adspectum hominesque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses: ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quae communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et jam diu de te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere, neque vim pertimesces? quae tecum, Catilina, sic agit et quodammodo tacita loquitur: 18. Nullum aliquot jam annis facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium 39) neces, tibi vexatio di-

---

39) Multorum civium neces) quos Syllano tumultu interfecerat. Asconius Pedianus in Orationem Cic. in toga candida in principio: Catilinam, cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiam postea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Caecilium

reptioque [40]) sociorum impunita [41]) fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totum esse in metu propter te unum, quidquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat: non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. VIII. Haec si tecum, 19. ut dixi, patria loquatur, nonne impetrari debeat, etiamsi vim adhibere non possit? Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti: quid? quod vitandae suspicionis causa apud M. Lepidum te habitare velle dixisti, a quo non receptus etiam ad me venire ausus es, atqui ut domi meae te asservarem, rogasti. Cum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur; ad Q. Metellum praetorem venisti, a quo repudiatus ad sodalem tuum, virum [42]) optimum, M. Marcellum dimigrasti,

---

M. Volumnium, Tantasium M. etjam Marii Gratidiani summe popularis hominis, qui ob id his praetor fuit, caput abscissum per Urbem sua manu Catilina tulerat.

40) Vexatio direptioque sociorum) in provincia Africa, quam ex praetura fortitus ita rexerat, ut domum regressus repetundarum reus fieret. Ascon. c. 1. et Sallust. c. 18.

41) Impunita ac libera) quia artibus obtinuit, ut absolveretur in judicio repetundarum. Ascon. l. c.

42) Virum optimum) Ironice, teste Quintiliano, 1. 9. n. 2. Neque enim M. Marcellus pro quo oratio ad C. Caesarem exstat, intelligendus est, sed sodalis Catilinae et conjurationis socius. Paullus Orosius lib. 6. c. 6. Motus etiam in Peliginis ortus a Marcellis patre et filio, per L. Vettium proditus, patefacta Catilinae conjuratione, quasi succisa radice, compressus est; et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Bruttiis vindicatum est.

quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipsum jam dignum custodia judicaverit. 20. Quae cum ita sint, Catilina, dubitas, si hic morari aequo animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare? Refer, inquis, ad senatum, (id enim postulas) et si hic ordo sibi placere decreverit, te ire in exilium, obtemperaturum esse dicis. Non referam id, quod abhorret a meis moribus, et tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina, libera rempub. metu: in exilium, si hanc vocem, expectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? patiuntur, tacent: quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? 21. At si hoc idem huic adolescenti optimo [43]) P. Sextio, si fortissimo viro [44]) M. Marcello dixissem, jam mihi consuli hoc ipso in templo jure optimo senatus vim et manus intulisset: de te autem, Catilina, cum quiescunt, probant; cum patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita utilissima, sed etiam illi equites Rom, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paulo ante exaudire potuisti: quorum ego vix abs te jam diu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae jampridem vastare studes, relinquentem usque [45]) ad

43) P. Sextio) Qui quaestor fuit C. Antonii, collegae Ciceronis Cic. Orat. pro hoc Sextio n. 8.

44) M. Marcello) Hic demum est ille clarissimus vir, pro cujus restitutione Caesari gratias egit Cicero.

45) Usque ad portas prosequantur) Mos, ait Muretus, prosequendi eos, qui in exilium abirent. Unde Catil. 2. n. 1. vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus.

portas prosequantur. IX. Quanquam quid loquor? 22. te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ullum ut exilium cogites? utinam tibi istam mentem dii immortales darent! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est mihi tanti, dummodo ista tua privata sit calamitas, et a reipubl. periculis sejungatur. Sed ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus reipubl. concedas, non est postulandum: Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. 23. Quamobrem, ut saepe jam dixi, proficiscere, ac si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exilium: vix feram sermones hominum, si id feceris: vix molem istius invidiae, si in exsilium ieris injussu consulis, sustinebo: Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu, confer te ad Manlium, concita perditos cives, secerne te a bonis, infer patriae bellum, exulta impio latrocinio: Ut a me non ejectus ad alienos, sed invitatus ad tuos esse videaris. 24. Quanquam quid ego te invitem, a quo jam sciam esse praemissos, qui tibi ad forum [46]) Aurelium praestolarentur armati? sciam pactam et constitutam esse cum Manlio diem? a quo etiam [47]) aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido, et funestam futuram, cui domi tuae [48]) sacrarium

46) Forum Aurelium) Videtur oppidum fuisse haud procul ab urbe situm in Via Aurelia, qua profecti fuerant conjurati, Orat. 2. n. 6.

47) Aquilam argenteam) signum legionis.

48) Sacrarium) Herodianus 4. 4. tradit fuisse in castris νεων ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τῶ στρατοπέδω προσκυνεῖται, Aediculam, intra quam signa ac simulacra exercitus adorantur.

scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam: Tu ut illa diutius carere possis, quam venerari ad caedem proficiscens solebas, a cujus altaribus saepe istam dextram impiam ad necem civium transtulisti. X. Ibis tandem 25. aliquando, quo te jam pridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res adfert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem: ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium, concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum. 26. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere? cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad hujus vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui: jacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum: vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis occisorum. Habes, ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium, quibus te brevi tempore confectum esse senties. 27. Tantum profeci tum, cum te a consulatu repuli, ut exul potius tentare, quam consul vexare rempubl. posses, atque ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur. XI. Nunc ut a me P. C. quandam prope justam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite quaeso diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibus que mandate. Etenim si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis respubl. loquatur: M. Tulli, quid agis? tune cum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorum in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem conjurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emissus ex urbe, sed im-

missus in urbem esse videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis. 28. Quid tandem impedit te? mosne majorum? at persaepe etiam privati in hac republ. perniciosos cives morte multarunt. An [49]) leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? at nunquam in hac urbe ii, qui a repub. defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? praeclaram vero populo R. refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum, salutem civium tuorum negligis 29. Sed si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia, quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum. XII. His ergo sanctissimis reip. vocibus, et eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, P. C. Catilinam morte multari; unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim si summi viri, et clarissimi cives, Saturnini et Gracchorum, et Flacci, et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: Certe verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea mihi maxime impenderet, tamen hoc animo semper fui, ut

---

49) An leges) Porcia, Semproniae, de quibus 7. Verr. cap. 63. Et pro Rabirio perduell. cap. 4. traditur; Porcia lex virgas ab omnium Civium Rom. corpore amovit: Porcia lex libertatem civium lictori eripuit. Adde Livium lib. 10. c. 9. Et rursus Cicero d. I. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Rom. injussu vestro (populi R.) judicaretur.

invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem 30. Quanquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant, aut ea quae vident, dissimulent: qui spem Catilinae mollibus sententiis alverunt, conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt: Quorum auctoritatem secuti multi, non solum improbi verum etiam imperiti si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Manliana castra peruenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam: Neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipub. pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quodsi se ejecerit secumque suos eduxerit, et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit, extinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta reipubi. pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium. XIII. Etenim jam diu, P. C. in his periculis conjurationis, insidiisque versamur: Sed nescio quo pacto omnium scelerum, ac veteris furoris, et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quodsi ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis, atque in visceribus reipublicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint; primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur; sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius poena, vehementius vivis reliquis ingravescet. 32. Quare P. C. secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muto denique, id quod saepe jam dixi, secernantur a nobis: desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curi-

am, [50]) malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare: sit denique inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de republ. sentiat. Polliceor vobis hoc P. C tantam in nobis coss. fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Rom. virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis. 33. Hisce omnibus, Catilina, cum summa reip. salute, et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere, parricidioque junxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus haec urbs, auspiciis a [51]) Romulo es constitutus, quem Statorem hujus urbis atque imperii vere nominamus, hunc, et hujus socios a tuis aris, ceterisque templis, et tectis urbis, acmoenibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis, et omnes inimicos bonorum, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se, ac nefaria societate conjunctos, aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

---

50) Malleolos) Instrumenta, quibus machinae in obsidionibus incensae sunt, iuquid Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 10. Malleoli teli genus, figurantur hac specie: Sagitta est cannea, inter spiculum, et arundinem multifido ferro coagmentata, ---- atque in alueo ipso ignem. Adde Veget. 4. cap. 18. cum aliquo suscipit alimento. Et sic emissa lentius arcu inualido, (ictu enim rapidiore exstinguitur) si haeserit usquam, tenaciter cremat. Adi et Lips. Polidrc. lib. dialogo 5.

51) a Romulo es constitutus) Dion. halicarn. I. 2. de Romulo et Titio: Exstructis templis aras, consecraverunt diis, quibus in pugna voverunt. Ρωμύλος μέν Ορθωΐῳ Διΐ, Romulus Jovi Statori.

2.

PRO ARCHIA POËTA.

ARGUMENTUM.

ORATIONIS PRO A. LICINIO ARCHIA POËTA.

A. Licinius Archias, poeta Antiochenus, vixit Romae in amicitia et gratia clarissimorum virorum, in primis Ciceroni et Lucullo usque eo familiaris, ut illius pueritiam bonis artibus formaverit: hunc in provincias indivulsus comes persecutus sit. Inde in Italiam regressus Heracleam venit, et in eo municipio adscribi civis voluit, quod cum virtutibus suis, tum Luculli auctoritate facillime impetravit, eo ipso, lege Carbonis et Silani Romanam civitatem consecutus. Cum vero Gracchus quidam Archiam accusaret, quod falso se civem jactitaret: Cicero illum hac oratione defendit, et quod causa facilior erat, brevissime eam expedivit: adjecta, praeter fori consuetudinem, artium liberalium et Poetici studii elegantissima laudatione, tam personae rei accommodata, quam praetori et judicibus, quippe doctissimis viris, grata atque jucunda.

DISPOSITIO.

Orationis praecipuus scopus est, Archiam contra Gracchi accusationem defendere, atque ita Judicialis est Generis: in altera vero parte multa ex Demonstratiuo Genere pro laude artis Poëticae continentur.

EXORDIUM, esse aequum ostendit, Archiam a Cicerone tanquam praeceptorem a discipulo, defendi, n. 1. 2. 3.

PROPOSITIO duas res probandas sistit, et esse civem Archiam, et si non esset, dignum tamen, qui in civium numerum recipiatur.

NARRATIO patriam, studia, famam et itinera Archiae recenset, n. 4. seq.

CONFIRMATIO (quae confutationem argumentorum Gracchi subinde admiscet) probat.

I. Archiam esse civem, quia

1. Heracleae in foederata urbe adscriptus fuerit, cujus tabulae incendio absumtae testimonio Luculli et legatorum Heracliensium suppleantur, n. 8.
2. Domicilium Romae habuerit, n. 9.
3. Professus fuerit apud Praetorem, n. 9. licet in censoriis tabulis nomen non reperiatur, cujus rei causa affertur, n. 11.
4. Usus fuerit privilegiis civium in testamentis scribendis, et hereditatibus adeundis, n. 11.

II. Dignum Archiam civitatis jure esse, quia

1. Poetae faciant ad eloquentiam, n. 12.
2. Ad formandos mores et virtutis studium, n. 14.

Cum vero Archias non sit vulgaris poeta, n. 18. majori jure recipiendum esse, praesertim quod Rom. ducum res gestas describat.

Amplificat hoc exemplis civitatum de Homero certantium n. 19. Marii n. 20. Scipionis etc. n. 22 Alexandri Magni n. 24. Pompeii Magni n. 24. Syllae n. 25. Bruti Gallaeci n. 27. quibus omnibus cari poetae atque in pretio fuerunt.

Inde digreditur orator ad gloriae dulcedinem describendam n. 28. seqq.

PERORATIO repetit potiora argumenta, n. 31. deinde petit, ut conservetur Archias: denique insolitum et in foro novum dicendi genus excusat, n. 31.

ORATIO
PRO A. LICINIO ARCHIA
POËTA.

SI QUID est in me ingenii, judices, quod sentio, quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel inprimis hic A. Licinius fructum a me repetere prope jure suo debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. 2. Quod si haec vox hujus hortatu praeceptisque conformata nonnullis aliquando saluti fuit; a quo id accepimus, quo ceteris opitulari, et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio aut disciplina: ne nos quidem huic cuncti studio penitus unquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur. 3. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, II. me in [1]) quaestione legitima, et in judicio publico, cum

1) Quaestione legitima) legibus publicorum judiciorum constituta, sed causa forensi.

res agatur apud [2]) Praetorem populi Romani lectissimum virum; et apud severissimos judices, tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti [3]) genere dicendi, quod non modo a consuetudine judiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat, quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam accommodatam huic reo; vobis, quemadmodum spero, non molestam: ut me pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum litteratissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique Praetore exercente judicium, patiamini de studiis humanitatis ac litterarum paulo loqui liberius: et in ejusmodi persona, quae propter otium ac studium minime in judiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi. 5. Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A Licinium non modo non segregandum, cum sit ciuis, a numero civium; verum etiam si non esset, putetis adsciscendum fuisse. III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi [4]) studium contulit: primum [5]) Antiochiae (nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe, et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis adfluenti) celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris [6]) Asiae partibus, cunctaque Graecia sic ejus aduentus

---

2) Praetorem) Praetorum enim erat judiciis praeesse.

3) Hoc genere dicendi) etc. id est, ab judiciali Genere et defensione Archiae, transire ad Genus demonstrativum, et laudes artium liberalium, Poetices praecipue.

4) Scribendi studium) Poeticen, quae cum Historia, res gestas clarorum virorum scribit.

5) Antiochiae) quae ad Orontem fluvium est, princeps Syriacarum urbium. Vide Herodian. lib 2. cap. 7. fin.

6) Asiae) Ciceronis, in qua potissimum propter Graecanicas colonias studia aestimabantur.

celebrabatur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena Graecarum artium ac disciplinarum: studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis: et hic Romae propter tranquillitatem Reipublicae non negligebantur. Itaque hunc et [7]) Tarentini, et Rhegini, et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae, cum esset jam absentibus notus, Romam venit Mario Consule et Catulo, nactus est primum Consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam [8]) studium atque aures [9]) adhibere posset. Statim Luculli, cum [10]) praetextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. Sed etiam hoc non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis fuit, ut domus, quae hujus adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti. Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi [11]) Numidico, et ejus Pio [12]) filio: audiebatur a M. Aemilio: vivebat cum Q. Catulo, et patre et filio: a L. Crasso cole-

7) Tarentini, Rhegini, Neapolitani) Italiae urbes inclytae notantur, Tarentus ad Tarentinum sinum; Rhegium ad fretum Siculum; Neapolis Campaniae.

8) Alter res gestas, studium etc.) separat Consules litterarum studiis, quia Marius solus fere inter claros Romanos fuit litterarum expers, qui apud Sallust. Jug. c. 85. barbaram vocem protulit: GRÆCAS LITTERAS NON DIDICI.

9) Aures adhibere) Vid. Plin. lib. 1. epist 13.

10) Praetextatus) adolescens. Adde notata ad 2. Catil. n. 4.

11) Metello Numidico) nitido oratori, Vellei. 2. 9. Causa cognominis Jugurtha fuit. Numidiae Rex, regno ab hoc Metello exutus Sallust. Jugurt. a cap 46. Flor. 3. 1. 12.

12) Pio filio) Sic dictus, quod lacrymis et supplici habitu populum sollicitaverat, ut ab exsilio patrem revocaret. Appian. 1. Civ.

batur: Lucullus vero, et Drusum, et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, adficiebatur summo honore, quod eam non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant. IV. Interim satis longo intervallo 7. cum esset cum L. Lucullo in [13]) Ciliciam profectus, et cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit [14]) Heracleam. Quae cum esset civitas aequissimo jure ac foedere, adscribi se in eam civitatem voluit: idque cum ipse per se dignus putaretur: tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracliensibus impetravit. Data est civitas Silani lege et Carbonis, SI QUI FOEDERATIS CIVITATIBUS ADSCRIPTI FUISSENT, SI TUM, CUM LEX FEREBATUR, IN ITALIA DOMICILIUM HABUISSENT, ET SI SEXAGINTA DIEBUS APUD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Cum hic domicilium Romae multos jam annos haberet, professus est apud Praetorem Q. Metellum familiarissimum suum. Si nihil aliud, nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius: causa dicta est. 8. Quid enim horum infirmari, Gracche, potest? Heracleae ne esse tum adscriptum negabis? adest vir summa auctoritate, et religione, et fide L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire: non audivisse, sed vidisse: non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heracleenses legati, nobilissimi homines:

---

13) Cum Lucullo in Ciliciam) L. Lucullus post consulatum Ciliciam provinciam obtinuit, Plutarch. nondum adquisitam, nisi exigua parte; sed bello adquirendam. H. Noris Cenotaph. Pis. p. 2. 3. seq. Multi scripti libri habent pro Cilicia Siciliam: sed cum Plutarcho malumus sentire, qui Ciliciae, non Siciliae, praefuisse L. Lucullum proconsulari imperio, in vita testatur. Alii substituunt M. Lucullum fratrem.

14) Heracleam) Italiae urbem ad sinum Tarentinum. Cum hac civitate prope singulare foedus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio Consule, ictum fuit. Cic. pro Balbo cap. 22.

hujus judicii causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt, hunc adscriptum Heracliensem dicunt. Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas [15]) Italico bello, incenso [16]) tabulario, interisse scimus omnes. Est ridiculum ad ea, quae habemus, nihil dicere; quaerere, quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere: litterarum memoriam flagitare: et cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque, ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare, tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. 9. At domicilium Romae non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit. At non est professus. Immo vero iis tabulis professus, quae solae ex illa professione, collegioque Praetorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem. V. Nam cum [17]) Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur: Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset, Metellus homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, 10. ut ad L. Lentulum praetorem et ad judices venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis. Quae cum ita sint, quid est, quod de ejus civitate dubitetis? praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus. Etenim cum mediocribus multis, et aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis gratuito civitatem in [18]) Graecia homines impertiebantur; Rheginos, credo, aut [19]) Locrenses, aut Neapolitanos,

15) Italico bello) quod Sociale et Marsicum quoque dicitur.

16) Tabulario) loco, quo tabulae asseruantur publicae.

17) Appii, Gabinii) Hi Praetores fuerunt, apud quos incolae domicilium profitebantur.

18) In Graecia) Magna, inferiore parte Italiae.

19) Locrenses) Locri etiam urbs Magnae Graeciae, sive ultimi in Italia anguli.

aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenii praedito gloria noluisse? Quid? cum ceteri non modo post civitatem datam, sed etiam post legem [20]) Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint, hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem esse voluit, rejicietur? 11. Census [21]) nostros requiris scilicet. Est enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuisse: superioribus cum eodem quaestore fuisse in Asia: primis Julio et Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed quoniam census non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive: iis temporibus, quae tu crimineris, ne ipsius quidem judicio eum in civium Romanor. jure esse versatum et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit hereditates civium Roman. et in beneficiis [22]) ad aerarium delatus est a L. Lucullo Praetore, et Consule. VI. Quaere argumenta, si qua potes: nunquam enim hic neque suo, neque amicorum judicio revincetur. 12. Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc

---

20) Legem Papiam) qua cautum fuit, ne peregrini in civitatem reciperentur. Cicero 3. Offic. c. 11. iniquam censet hanc legem. Male etiam, inquit, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud Patres nostros, Papius nuper.

21) Census nostros) Officium censorum etiam fuit τὸ τῶν δήμου πλῆθος ἀναγράφεσθαι numerum civium inire, Appian. 2. Lib. f. 244. et quo quisque libertus aut peregrinus modo civitatem adeptus sit, examinare. Dion. Halic. lib. 4. διὰ τί καὶ πῶς ἠλευθερώθησαν.

22) In beneficiis ad aerarium delatus) id est, beneficium ex aerario accepit. Qui enim cum imperio e provinciis veniebant, milites, quorum egregia opera fuerat, ad aerarium deferebant, ut praemium acciperent. Hotom.

forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrinâ excolamus: aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum: ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum lucemque prodire. Me autem quid pudeat? qui tot annos ita vivo, judices, ut ab nullius me unquam [23]) tempore aut commodo, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit. 13. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat; si quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies [24]) ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi et corporis, conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis [25]) conviviis, quantum denique aleae, quantum [26]) pilae; tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumsero? Atque hoc adeo mihi

---

23) Tempore) i. e. perculo, forensi scil.

24) Festos dies ludorum) Circensium et gladiatoriorum et Spectacula enim sapientes studiis postposuisse, patet ex Cic. 7. epist. 1. et Plin. 9. epist. 6.

25) Tempestivis conviviis) Turneb. Aduers. 6. 16. Ego tempestivum convivium puto esse, quod non sit de die, (nam id turpe et intempestivum habeatur) neque in multam noctem producitur: sed quod tempore fit.

26) Aleae, pilae) Inhonestus lusus alea Cic Cat. 2. n. 10. et Horat. 3. Carm. 24.

> Seu Graeco jubeas trotho,
> Seu malis vetita legibus alea.

Pila autem honestior. Val. Maxim. 8. 8. 2. de Scaevola: ad hoc diverticulum (pilam) animum suum forensibus ministeriis fatigatum transferre solebat. Add. Sueton. Aug. 83.

concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque censetur oratio et facultas; quae quantacunque in me, nunquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur, illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. 14 Nam nisi multorum praeceptis, multisque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exsilii, parvi esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas [27]) dimicationes. atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientum voces, plena exemplorum vetustas: quae jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas, scriptores et Graeci et Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda Republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam. VII. Quaeret 15. quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditae sunt, ista ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus confirmare. sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos, et graves extitisse fateor: etiam illud adjungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud, nescio quid, praeclarum ac singulare solere existere. 16. Ex hoc esse hunc numero, quem

27) Tot ac tantas dimicationes) tempore conjurationis Catilinae.

patres nostri viderunt, divinum hominem [28]) Africanum, ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos, ex hoc fortissimum virum, et illis temporibus doctissimum, M. [29]) Catonem illum senem: qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adjuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor hanc animi adversionem, humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum: haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent; delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. 17. Quod si ipsi haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus. VIII. Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut [30]) Roscii morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus? 18. Quoties ego hunc Archiam vidi, judices, (utar enim vestra benignitate,

---

28) Africanum) Scipionem Africanum Minorem, quia Laelio conjungitur. Laelii autem amicus fuit ille eversor Carthaginis et Numantiae. Cic. Lael. cap. 3. Additur tertius. L. Furius Philus, de qua erudita triga 2. de Oratore cap. 37. non tulit, inquit, haec civitas humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt.

29) M. Catonem senem) Censorium, cujus vitam scripsit Corn. Nepos.

30) Roscii) comoedi, pro quo extat Ciceronis oratio Lib. 1. de Orat. cap. 28. hoc tamdiu, inquit, est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.

quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attendisti) quoties ego hunc vidi, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis? quae vero accurate, cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc non ego diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus, eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina, et praeceptis, et arte constare, poetam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, judices, sanctum apud vos humanissimos hominesque hoc poetae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa [31]) et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum [32]) Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vendicant: Salamini repetunt: Smyrnei vero suum esse confirmant: itaque etiam [33]) delubrum ejus in oppido dedicaverunt: permulti alii praeterea pugnant inter se atque

---

31) Saxa, bestiae) Alludit ad fabulas Orphei, de quo Ovidii II. Metam. init. exstant versus:

Silvas animosque ferarum
Threicius vates et saxa latentia traxit.

Adde fabulam de Arione, Herod. lib. 1.

32) Homerum) Dubia hujus patria, dum certant:

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argos Athenae.

Adde Gell. I. 3. c. II.

33) Delubrum) Simile exemplum habet sustinus 20. 4. 18.

contendunt. Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui et voluntate, et legibus noster est, repudiabimus? praesertim, cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam. Nam et Cimbricas [34]) res adolescens attigit, et ipsi illi C. Mario, qui durior [35]) ad haec studia videbatur, jucundus fuit. 20. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum summum Athenis virum dixisse ajunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissime audiret: 21. Ejus, a quo sua virtus optime praedicaretur. Itaque ille Marius item eximie L. Plotium, dilexit, cujus ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Mithridaticum vero bellum magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim Rom. aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et Regiis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatum: populi Romani exercitus eodem duce, non maxima manu, [36]) innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Romani laus est, urbem amicissimam [37]) Cyzicenorum ejusdem consilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam: nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis et incredibilis

34) Cimbricas res) Flor. 3. 2.

35) Durior ad haec studia) Vide notata ad n. 5.

36) In numerabiles Armeniorum copias) Trecenta millia, quorum, numero, confisus Tigranes, Armeniae Rex, Romanorum paucitatem aduenientium contemsit, si inquiens, legati sunt, multi certe sunt: sin hostes, nimis pauci. Appian. Milhrid.

37. Cyzicenorum) Vide pro Leg. n. 10.

apud [38]) Tenedum pugna illa navalis: nostra sunt trophaea, nostra monumenta, nostri triumphi. 22. Quare quorum ingeniis haec feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur. Carus fuit Africano superiori noster Ennius: itaque etiam in sepulcro [39]) Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. X. In coelum hujus proavus Cato tollitur: magnus honos populi Romani rebus adjungitur: omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui haec fecerat, [40]) Rudinum hominem majores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus. 23. Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare, si res hae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo cominus manuum nostrarum tela peruenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt; tum iis certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est, et laborum. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander se cum habuisse dicitur. Atque is tamen, cum in [41]) Sigaeo ad Achillis

---

38) Apud Tenedum) Vide notata ibidem ad n. 21.

Est vero insula Aegei maris.

39) In sepulcro Scipionum) Vide Livium 38. 56. Plin. 7. 30.

40) Rudinum hominem) Ennium poetam Rudiae Calabriae oppidum, patria Ennii fuere, Strabo lib. 6. ideo Rudiae, Ennio cive nobiles, Pomp. Melae, I. 2. c. 4. dicuntur.

41) Sigaeo) promontorio Troadis.

tumulum adstitisset: O [42]) fortunate, inquit, adolescens qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris! et vere. Nam nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic [43]) Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit; nonne Theophanem [44]) Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit, et nostri illi fortes viri, sed rustici et milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes ejusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt? 25. Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sylla cum Hispanos [45]) et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset: quem nos in concione vidimus, cum ei libellum (malus) poeta de populo subjecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis; statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, jubere ei praemium tribui sub ea conditione, ne quid postea scriberet. Qui sedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam, cujus ingenium et virtutem in scribendo, et copiam non expetisset? 26. Quid? a Q. Metello Pio familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se, neque per Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam

---

42) O fortunate) Plutarchus in Alex. geminam felicitatem Achilli ab Alexandro tributam scribit, φίλε πιστέ, fidelis amici, (Parocli) in vita: μεγάλε κήρυκος, magnis praeconis post mortem.

43) Noster hic Magnus) Cn. Pompejus, cui adolescenti hoc ex virtute cognomen Sylla Dictator dedit: bello autem Sertoriano ipse Pompejus in epistolis et edictis se Magnum adscribere coepit Plutarch. in Pomp. et Sertor.

44) Theophanem Mitylenaeum) Hujus tum doctrinam, tum cum Pompeio amicitiam praedicat Strabo lib. 13. in Lesbi descriptione. Ejus enim insulae metropolis Mitylenae sunt.

45) Hispanos et Gallos), quorum opera in bellis usus erat.

[46]) Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet. XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Illi ipsi Philosophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se, ac nominari volunt. 27. Decius quidem [47]) Brutus, summus ille vir et imperator, Atti amicissimi sui carminibus templorum [48]) ac monumentorum aditus exornavit suorum. Jam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit [49]) Fulvius, non dubitauit Martis [50]) manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen, et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati judices a Musarum honore, et a poetarum salute abhorrere. 28. Atque ut id libentius faciatis, jam me vobis judices indicabo, et de meo quodam amore gloriae nimis acri fortasse, verum tamen honesto, vobis confitebor. Nam quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute hujus urbis atque imperii, et pro vita civium, proque

---

46) Cordubae natis) Erovincialium ingenia propter innatam barbariem tum temporis ineptiora erant ad amoeniores litteras. Post haec Corduba (Hispaniae Baeticae civitas) Senecam utrumque et Lucanum procreavit.

47) D. Brutus), qui Lusitaniam usque ad Oceanum perdomuit, Flor. 2. 17. 12. iude Gallaeci cognomen promeritus, Vellei. 2. 5.

48) templorum suorum), quae ex manubiis suis consecraverat.

49) Fulvius) M. Fulvius Nobilior, Aetolorum Victor, Flor. 2. 9.

50) Martis manubias) Marti consecrandas. Minubias a praeda distinguit Gellius 13. 24. ita, ut praeda sint corpora, quae cap tasunt: manubiae pecunia a quaestore ex venditione praedae redacta. Praedam illam Fulvii eximiam describit Livius 39. 5. Hinc Aedes Herculis Musarum. Eumen. pro restaur. schol. c. 7.

universa republica gessimus, attigit hic versibus, atque inchoavit. Quibus auditis, quod mihi magna res et jucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae: qua quidem detracta, judices, quid est, quod hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? 2o. certe si nihil animus praesentiret in posterum, et si quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationis terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliis que angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis, concitat, atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam. XII. An vero tam parvi animi 3o. videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut cum usque ad extremum spatium, nullum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An cum statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines relinquerunt; consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, jam tum in gerendo spargere me, ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem [51]) abfutura est, sive, ut [52]) sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam speque

---

51) Sive abfutura est) adeo incertus fuit del. animae immortalitate Aeque dubius est libr. 5. epist. 16. ad Titium.

52) Sapientissimi) Socrates, Plato, qui multa de anima post mortem. tradiderunt.

delector. Quare conservate, judices, hominem pudore eo, quem amicorum studiis videtis comprobari, tum dignitate, tum etiam venustate: ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum [53]) hominum ingeniis expetitum esse videatis: causa vero ejusmodi, quae beneficio [54]) legis, auctoritate [55]) municipii, testimonio Luculli, Metelli tabulis comprobetur. Quae cum ita sint, petimus a vobis, judices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse, ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit, qui etiam his recentibus [56]) nostris vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur, isque est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atque dicti; sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur. Quae de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi, judices, ea confido probata esse omnibus; quae non fori, neque judiciali consuetudine et de hominis ingenio, et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta: ab eo, qui judicium [57]) exercet, certo scio.

---

53) Summorum hominum) Marii, Catulli, Metelli, Luculli etc. vide n. 5. et 6.

54) Beneficio legis) supra n. 7. expressae.

55) Municipii) Heracleae.

56) His recentibus nostris) Scripturus erat Archias Catilinariam conjurationem. Supran. 13.

57) Qui judicium exercet) Praetorem significat, litteratum hominem, et ingeniis faventem.

3.

PRO M. MARCELLO.

ARGUMENTUM

ORATIONIS PRO M. MARCELLO.

M. Marcellus Consul cum Ser. Sulpicio contendit, ut Julio Caesari Gallias obtinenti, ante expletum prorogati a Pompejo et Crasso Coss. imperii quinquennium, successor primo quoque tempore mitteretur, isque exercitum statim dimitteret, quod urgere toto consulatu non destitit. Quare post pugnam Pharsalicam, cum nec vellet extrema belli civilis persequi, cujus initia invitus susceperat: et humilis animi duceret, vel timeret, salutem vitamque Caesari committere: medium quoddam consilium cepit nec Romam revertit, ut Cicero: neque in Africam ad renovandum bellum profectus est, ut Cato atque Scipio: sed Mitylenaes abiit, ut patria perpetuo careret. Hoc exsilium literis et studiis optimis toleravit, siquidem Brutus (teste Seneca consol. ad Helujam cap. 9.) vidit Marcellum Mitilenis exulantem, et quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem, neque unquam bonarum artium cupidiorem, quam illo tempore. Cicero vero datis ad ipsum epistolis (lib. 4. epist. 7. 8. 9. 10) hortabatur, ut tempori cederet, Romaeque et domi suae, quam Mitylenis aut Rhodi mallet vivere. Interea C. Marcellus sollicite apud Caesarem urgebat fratris Marci restitutionem et cum aliquando, in Senatu a L. Pisone mentio facta esset M. Marcelli, totus Senatus surrexit, et Caesari pro illo supplicavit. Caesar motus Senatus auctoritate restituit Marcellum postquam

conquestus fuerat de ejus erga se acerbitate, et quod forsan hoc homine restituto non tutus possit ipse esse ab insidiis. Eo ipso die Cicero sententiam in Senatu rogatus, pluribus verbis, id est, integra hac oratione Caesari gratias egit, eidemque suspicionem insidiarum simul exemit. De his certior factus Marcellus a suis, iter ingerditur; sed dum Athenis est apud Sulpitium, inde in Italiam navigaturus, a P. Magio Chilone noctu interfectus est. Dubium vero fuit, an conscio Caesare haec caedes patrata. Brutus certe excusat Ciceroni Caesarem lib. 13. ad Attic. Epist. 10.

ARTIFICIUM RHETORICUM.

Generis est Oratio demonstrativi, quia gratias agit: licet posterior pars, quae suspiciones Caesaris refutat, ad aliud genus videatur pertinere. Partes sunt quatuor.

1. EXORDIUM, a persona Ciceronis deductum, causam dicit mutati consilii, quod praeterquam constituerat, non possit diutius tacere propter ingentem Caesaris clementiam in restituto Marcello denno declaratam, n. 1. 2. 3. quamvis non idoneus sit ad eam digne praedicandam: n. 4.

   PROPOSITIO est implicita.

   CONFIRMATIONIS prior pars comparat clementiam Caesaris cum virtute ejus bellica. Comparationis tria facit capita:

   1. a clementiae proprietate, quia non communis cum multis, ducibus aut militibus, sed propria Caesaris, num. 5. 6. 7.
   2. ab objecti difficultate, quia difficilius se ipsum vincere, quam alios, num. 8. Adjungitur repetitio praecedentium num. 9. 10. 11.
   3. ab effectis, quae sunt (1) amor et restitutio pacis sociorum, ut pote Ciceronis, num. 13. 14. et ipsius Marcelli n. 16. (2) caedium raritas, quod victoria cum praeliis

terminata, et nemo occisus sit, nisi qui acie ceciderit, num. 17. Amplificatur ex sperata Pompejanorum victoria, quae tam mitis nunquam futura fuisset, num. 18.

Conclusio primae partis est a num. 19. ad 21.

CONFIRMATIONIS posterior pars eximit Caesari

1. metum insidiarum, quod inimici qui fuerant, vel bello perierint, vel beneficio sint facti amicissimi. n. 21. 22. Per concessionem vero dicit, hunc metum reipub. salutarem esse n. 23. 24.
2. cupiditatem moriendi, quia licet sibi et gloriae, non tamen patriae satis vixerit, n. 26. 27. 28. nec posteris, quorum judicio quoque serviendum, n. 30. et respubl. prius in pristinum nitorem restituenda.

CONCLUSIO repetit gratiarum actionem cum omnium, tum ipsius Ciceronis etiam nomine. n. 34.

ORATIO
PRO M. MARCELLO.

Diuturni silentii, P. C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit; idemque initium, quae vellem, quae quo quo sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac pene divinam, tacitus nullo modo praeterire possum.

M. enim Marcello vobis, P. C. reique publ. reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis, et reip. conservatam et restitutam puto. Dolebam enim, P. C. et vehementer angebar, cum viderem, virum talem, in eadem

[1]) causa, in qua ego fuissem, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo aemulo atque imitatore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam socio, a me, et comite distracto. Ergo et mihi meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni rep. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paulo ante in omnibus, cum M. Marcellum senatui populoque Romano concessisti, commemoratis praesertim [2]) offensionibus, te auctoritatem hujus ordinis, dignitatemque reipubl. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis vitae anteactae hodierno die maximum cepit, cum summo consensu senatus, tum praeterea judicio tuo gravissimo et maximo: ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit laetitia, pervenerit. 4. Quod ei quidem merito, atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior? II. Nullius tantum est [illegible] ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non dicam exornare, sed enarrare. C. Caesar res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es. 5. Solco saepe ante oculos ponere,

---

1) [illegible] partibus Pompeii, in eadem esse fortuna restitutionis in patriam, sicut Cicero restitutus erat.

2) Commemoratis offensionibus) Lib. 4. Epist. 4. (quae historiam hujus orationis continet) Cicero scribit, quod acerbitatem Marcelli accusaverit in Senatu Caesar, antequam restitueret. Marcellus enim in consulatu multum obstiterat Caesari.

idque libenter crebris usurpare sermonibus: omnes nostrorum [3]) imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero [4]) praeliorum, nec varietate regionum, nec [5]) celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Nec vero disiunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustratae sunt. 6. Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriae sint imperatorum. Et certe in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant: maximam vero partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat: et quid quid est prospere gestum, id pene omne ducit suum. 7. At vero hujus gloriae, C. Caesar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem, totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est,

---

3) Imperatorum) ducum militiae supremorum. Non autem quilibet, qui exercitui praeerat, imperator dictus est, Tacit. Annal. 3. 74 7. Tiberius Blaeso tribuit, ut imperator a legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta republ, gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur, Oportuit autem ducem supra 100 CIO hostium occidisse, secundum Diodorum Sicul. fragm. I. 36. aut CCIOO secundum Appianum Civil. de rebus a Curione in Africa gestis: quanquam abusus saepe hunc numerum imminuit, teste Cicerone Philipp. 14. n. 12.

4) Numero praeliorum) Plin. 7. 25. de Caesare: signis collatis quinquagies dimicavit.

5) Celeritate) Respicitur potissimum victoria Pontica, qua ante victus hostis, quam visus. Flor. 4. 2. 95.

inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil [6]) praefectus, nihil [7]) cohors, nihil [8]) turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert: tibi cedit, tuam esse totam, et propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. III. Domuisti 8. gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quae et naturam, et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit: verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium [9]) nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico. 9. Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium literis atque linguis: neque ulla unquam aetas detuis laudibus conticesset. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo etiam cum audiuntur, aut cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natura insolens,

---

6) Praefectus) Lipsius Mil. Rom. lib. 2. Dialog. 10. Praefecti sunt vel civium, dicti praefecti alarum, cohortium: vel sociorum numero et potestate tribunis pares, et qui eadem omnia in socios usurpabant, quae isti in cives.

7) Cohors) Gellius 16. 4. ex Cincino: in legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.

8) Turma) XXX equites continuit, et legionis cujuslibet X. turmae fuerunt. Lips. c. l. lib. 1. Dial. 6.

9) Aduersarium) M. Marcellum.

et superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio accendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut ejus saepe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te vero, quem praesentem intuemur, cujus mentem, sensusque, et os cernimus, ut, qui quid belli fortuna religuum reip. fecerit, id esse salutum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? 10) Parietes medius fidius, C. Caesar, ut mihi videtur, hujus curiae, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum 11) suorum, et suis sedibus. Equidem cum C. Marcelli, viri optimi, et commemorabili pietate ac virtute praediti 12) lacrymas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit, quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam jam ad paucos redactam bene ab interitu vindicasti. 11. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones. Haec enim res unius est propria Caesaris: ceterae, duce te, gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu. Hujus autem rei tu idem es et dux et comes: quae quidem tanta est, ut 13) trophaeis monumentisque tuis allatura sit finem aetas: nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetus-

---

10) Parietes etc.) Significat, futurum brevi, ut resp. restituta sit in potestatem optimatium et senatus. Pari loquendi genere utitur Plinius Paneg. c. 30. Muta quidem illa et anima carentia, sentire tamen et laetari videntur, quod frequententur, etc.

11) Suorum) Respicit non tam vocabulum auctoritatis, quam rem et personas eo vocabulo designatas, Gronovius.

12) Larymas) Vide lib. 4. epist. 4. et 7.

13) Trophaeis) Fuerunt monumenta τῆς τῶν πολεμίων τροπῆς. Erant autem vel lapidum moles, Flor. 3. 2. 6. vel arbores succisis ramis, Virg. Aen. XI. v. 5. et 83. quibus adligebantur hostium arma atque spolia.

tas. At vero haec tua justitia, et lenitas animi florescet quotidie magis, ita, ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum adferat laudibus. Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium, jam ante acquitate, et misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quae illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriae conditione jure omnes victi occidissemus, clementiae tuae judicio conservati sumus. V. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio visque devicta est 13. Atque hoc C. Caesaris judicium, P. C. quam late pateat, attendite. Omnes enim, qui ad illa arma [14]) fato sumus, nescio quo reipublicae misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a sclere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum, deprecantibus [15]) vobis, reipublicae conservavit: memet mihi, et item reipublicae nullo deprecante, reliquos amplissimos viros, et sibi ipsis, et patriae reddidit: quorum et frequentiam, et dignitatem hoc ipso in consensu videtis: non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit, a pleris que ignorantione potius, et falso atque inani metu, quam cupidditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum 14. Quo quidem in bello semper [16]) de pace agendum audiendumque esse putavi, semperque dolui non modo pacem, sed orationem etiam civium, pacem efflagitantium, repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia: semperque mea consilia, pacis et togae socia, non belli atque armorum fuerunt.

---

14) Fato) latente aliquo impulsu, eoque inevitabili. Stoice.

15) Deprecantibus vobis) lib. 4. Epist 4. cunctus senatus consurgeret, et ad Caesarem supplex accederet.

16) Semper de pace) Haec, et quae sequuntur, explicantur lib. 6. et lib. 7. Epist. 3.

Hominem [17]) sum secutus privato officio, non publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne ipse quidem, prudens et sciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium. 15. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam et in hoc [18]) ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum [19]) capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum aestimator, qui dubitet, qua Caesaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum, cum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli. Qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere. VI. Atqui hujus quidem rei M. Marcello sum testis 16. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant, Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam [20]) certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illam vidimus, debet esse. Non enim jam causae sunt inter se sed victoriae comparandae. 17. Vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidi-

17) Hominem privato officio) Pompejum secutus sum, quia is praecipue effecerat, ut ab exsilio revocaretur. De hoc lib. 6. Epist. Veritus sum deesse Pompeji saluti, cum ille aliquando non defuisset meae.

18) In hoc ordine) in senatu.

19) Capitis mei periculo) Pompejani enim, ut ait Cic. lib. 9. epist. 6. crudeliter etiosis minabantur. eratque iis invisa mea oratio.

20) Certorum hominum) Catonis, Lentuli, Scipionis etc. Plutarch. in Caes. et Vellei. 2. 49. CERTOS autem homines vocamus, quos nominare aut odiosum, ut hic, et pro Sextio cap. 18. sive num. 4. et lib. 16. Ep. 11. aut superfluum, ut Aeneid. 1. vi 576.

mus: quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira [21]) victoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero [22]) partis, nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam 18. Quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam [23]) otiosis minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esset dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam si poenas a populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, et tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam [24]) satiati aliquando omnem spem salutis, ad clementiam victoris, et sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono: et fruere cum fortuna et gloria, tum etiam natura, et moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus jucunditasque sapienti. Cetera cum tua recordabere, etsi persaepe virtuti: tamen plerumque felicitati tuae congratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur. 20. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate prae-

---

21) Non ira victoriae) Suet. Caes 75. de hac victoria, nec ulli periisse, inquit, nisi in praelio reperiuntur.

22) Alterius partis) Pompejanae.

23) Otiosis) mediis, et neutrius partis, ut loquitur Suetor. Caes. 75. Adde notata ad num. 15.

24) Satiati) Paganorum more et minus pie dictum.

sertim, aut pravitate aliqua lapsis, sed [25]) opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam reipublicae. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt. 21. Nunc vero venio ad gravissimam querelam, VII. et atrocissimam suspicionem tuam: quae non tibi ipsi magis, quam cum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te conservati sumus, providenda est, quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. 22. Sed quisnam est iste tuus demens? de tuisne? tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti?, an ex eo numero, qui una tecum fuerunt? non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, hujus vitam non anteponat suae. At si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici. Qui? omnes enim, qui fuerunt, aut sua [26]) pertinatia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut, qui superfuerunt, amicissimi sint. 23. Sed tamen, cum in animis hominum tantae latebrae sint, et tanti recessus, angemus sane suspicionem tuam: simul enim angebimus et diligentiam. Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam? et ex unius tua vitam pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut

---

25) Opinione officii) quod putabant, meliorem causam esse universi pene senatus, cujus dux Pompejus fuit Sic. lib. 7. epist. 3. nihil boni, praeter causam, offendi in castris Pompeji. Et Velleï. 2, 49. Alterius ducis causa melior videbatur: alterius erat firmior.

26) Sua pertinacia) ut Scipio, Cato, Petrejus. Vide scriptores belli Africani.

debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos eventus valetudinis, et naturae communis fragilitatem extimesco: doleoque, cum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. 24. Si vero ad humanos casus, incertosque motus veletudinis, sceleris etiam accedat, insidiarumque consensio: quem deum, etiam si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus? VIII. Omnia sunt excitanda tibi, P. Caesar, uni, quae jacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda judicia, revocanda [27]) fides, comprimendae libidines, propaganda [28]) soboles: omnia, quae delapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt 25. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore et armorum, quin quassata respub. quicunque belli eventus fuisset, multa perderet et ornamenta dignitatis, et praesidia stabilitatis suae: multaque uterque dux faceret [29]) armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. 26. Quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt: quibus, praeter te, mederi nemo potest. Itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: SATIS TE DIU VEL NATURAE VIXISSE, VEL GLORIAE. Satis, si ita vis, naturae fortasse: addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe parum. Quare omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, SATIS TE TIBI VIXISSE. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres,

27) Revocanda fides) bello civili collapsa. Sueton. Jul. 42.

28) Propaganda soboles) quia viris exhausta erat resp. civili bello. Hinc lege lata matrimonia imperanda erant, Augusti etiam temporibus. Dio Cass. lib. 54. et 56.

29) Armatus) Cicero lic. 4. Epist. 9. Multa victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam inuito, facienda sunt.

aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, cum omnium salutem civium, cunctamque rempubl. res tuae gestae complexae sint: tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum iecceris. Hic tu modum tuae vitae, non salute reipublicae, sed aequitate animi definies? quid, si istud ne gloriae quidem tuae satis est? cujus te avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. Parum ne igitur, luquies, (gloriam [30]) magnam) relinquemus? Imo vero aliis, quamvis multis, satis: tibi uni parum. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut devictis aduersariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae: siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. IX. Haec 28. igitur tibi reliqua pars est: hic restat [31]) actus: in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu inprimis composita, summa tranquillitate et otio perfruare: tum te, si voles, cum et patriae, quod debes, solveris, et naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia post ea nulla futura sit?

---

30) Gloriam magnam) Inclusae hac voces suspectae sunt Criticis et superfluae. Vid. Grüter.

31) hic restat actus) Vocabulum ex fabulis et comoediis sumtum, quibus vita humana comparatur. Lib. 1. ad Q. fratrem Epist. 1. in fine: hortor, ut, tanquam poetae boni et auctores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius ACTUS, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.

quanquam iste tuus animus nunquam his [32]) angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit. 29. Nec vero haec tua vita ducenda est, quae corpore et spiritu continetur, illa, inquam, illa vita est tua, Caesar, quae vigebit memoria seculorum omnium: quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quae quidem, quae miretur, jam pridem multa habet: nunc etiam, quae laudet, expectat. Obstupescent posteri certe, imperia, provincias, [33]) Rhenum, [34]) Oceanum, [35]) Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, [36]) monumenta, [37]) munera, triumphos audientes et legentes tuos. 30. Sed, nisi haec urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, cum alii laudibus ad coelum res tuas gestas efferent: alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriae restinxeris: ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam [38]) judicibus, qui multis post seculis de te judicabunt: et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. Nam et sine amore, et sine cupiditate, et rur-

---

32) Angustiis) Vide pro Archia n. 29.

33) Rhenum) victorias in Gallia Belgica, et Germania et quod Rhenum primus Romanorum ponte junxerat.

34) Oceanum) cujus fretum primus Romanorum cum exercitu trajecit, bellum Britannis illaturus,

35) Nilum) quod Ptolomaeum puerum, praelio in Nilo vicerat.

36) Monumenta) templa, aras, simulacra juxta deos, pulvinar. Sueton. c. 76.

37) Munera) spectacula et omnis generis ludos gladiatorios, Circenses, naumachiam etc.

38) Judicibus) posterorum judiciis.

sus sine odio, et sine invidia judicabunt 31. Id autem, etiam si tuae ad te, ut quidam falso putant, non [39]) pertinebit: nunc certe pertinet, esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio. Diversae voluntates civium fuerunt, distractaeque sententiae. X. Non enim consiliis solum, et studiis; sed armis etiam, et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi quid deceret? non nulli etiam, quid liceret 32. Perfuncta respublica est hoc misero fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: nec qui omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis [40]) posita, ab aliis erepta sunt. Ingratus est, injustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, qui in causa [41]) animam profudit, quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed jam omnis fracta dissensio est armis, et extincta aequitate victoris, restat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam [42]) sanitatis. Nisi te, C. Caesar, saluo, et in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui haec salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut vitae, saluti tuae

---

39) Ad te non pertinebit) si animus ejusque sensus cum corpore interibit.

40) Abaliis posita) sponte scilicet, ut a Murcello ipso lib. 4. Epist. 7. et Cicerone lib. 7. Epist. 3.

41) In causa animam profudit) causam Pompeji pertinaciter defendens vitam amisit. Lectionem nostra Msta stabiliunt. Causa vero hic partem et factionem significat.

42) Sanitatis) sanae mentis.

consulas: omnesque tibi, ut pro aliis etiam loqnar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo [43]) excubias et custodias, sed etiam laterum [44]) nostrorum oppositus, et corporum pollicemur, Sed ut, unde est orsa, in eodem terminetur oratio; maximas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar: majores etiam habemus, nam omnes idem sentiunt: quod ex omnium precibus et lacrymis sentire potuisti. IX. Sed quia non est [45]) stantibus omnibus necesse dicere: a me certe dici volunt 34: cui necesse est quodammodo, et quod volunt, et quod decet, et quod M. Marcello a te huic ordini populoque Romano et reipublicae reddito, fieri intelligo. Nam laetari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute, sentio, quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini, sum id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim, quamdiu est de illius salute, dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

---

43) Excubias et custodias) suaserant Caesaris amici σωμα]σφυλακεῖν: Ipse vero respondit, nihil infelicius, esse perpetua custodia ἔστι γὰρ ἀεὶ δεδίοτος, esse enim perpetuo timentis. Appian. 2. Civil. f. 246. Adde Vell. Pat. 2. 57.

44) Laterum opossitus) oppositiones. Haec vero sententia est: pollicemur nos tuum corpus ita stipaturos, ut si quisquam tibi manus inferre voluerit, per nostrum latus tu petaris.

45) Stantibus) E more veteri senatorum, qui aut sententiam suam ipsi, aut per alios, dicebant stantes.

II.

EX MURETO

I.

ORATIO II. VENETIIS HABITA DE LAUDIBUS LITTERARUM.

ARGUMENTUM.

In hac oratione conatur ostendere Orator eloquentissimus, permultum ornamenti praesidiique optimas litteras rebus publicis bene temperatis adferre. Omnem ergo apparatum e prudentia civili petitum ad duo summa capita refert demonstratque 1) *litteris pueritiam et adolescentiam ad rempublicam praeparari* 2) *Iisdem viros civiles in administranda republica adjuvari.*

Prius argumentum (post exordium elegantissimum ab auditoribus in hunc modum concinnatum: dicendum mihi est in splendidissimo Senatus Veneti consessu, cujus adspectus vel constantissimo viro metum incutere potuisset:) in hunc redigit syllogismum:

I. MAJOR. Quodcunque adolescentes ad virtutem praeparat, illud multum ornamenti praesidiique adfert reipublicae. Ubi

1. Ipsa propositio.

2. Aetiologia. Felicitas enim reipublicae a singulorum felicitate ac virtute dependet,

II. MINOR. Litterae adolescentes ad virtutem praeparant. Ubi

1. Ipsa propositio.

2. Aetiologia. Nam

a) Pueritiam praeparant.

1.) Aetiologia, Informant enim eamdem ad humanitatem et virtutem.

2.) Illustratio. Ut in semente spes messis, ita in institutitione puerili spes vitae posita est.

b.) Juventutem praeparant.

1) Aetiologia. Nam abducunt eam a voluptatum illecebris et ad gloriam excitant.

2) Illustratio ab

α.) Exemplo Themistoclis, qui Miltiadis trophaeis excitabatur.

β.) Fabulis poëticis, de Veneris imperio, et de Jasone, qui Sirenum insidias Orphei lyra evasit.

γ.) Exemplis Chrisippi, Archimedis, Solonis, qui voluptatem e litteris incredibilem ceperunt.

III. CONCLUSIO. Ergo litterae multum ornamenti praesidiique adferunt reipublicae.

Alterum argumentum Muretus enthymemati huic includit:

I. MINOR. Litteris viri civiles in administranda republica adjuvantur.

Litterae enim usum suum exserunt

1) In pace, ubi

a.) Aetiologia. Politica enim omnes viri civilis partes ostendit.

b) Illustratio, ab

α) Objectione. At possunt viri civiles aliena opera uti. Quod negatur.

β) Illustratio ab exemplo Manlii, qui coecus consulatum recusabat, quod indignum putaret, ei capita fortunasque omnium committi, qui alienis oculis uteretur.

2.) In bello, ubi

a.) Aetiologia, Bella enim non tantum corporis, sed et animi viribus geruntur.

b.) Illustratio a voto Agamemnonis, qui decem sibi non Achilles aut Ajaces, sed Nestoros optabat.

c.) Secunda Aetiologia. Historia tot bella ob oculos ponit, quum alias maximi duces paucis tantum bellis interfuerint.

d.) Tertia Aetiologia. Litterae ob oculos ponunt clarissimorum fortissimorumque ducum exempla.

e.) Quarta Aetiologia. Maximos saepe exercitus eloquentia vel stitit vel incitavit.

f.) Illustratio ab exemplo Tyrtaei Poëtae, qui Lacedaemoniorum exercitum versibus inflammavit.

g.) Aetiologia quinta. Maximi ac celeberrimi duces eruditi fuerunt.

h.) Illustratio ab exemplis Architae Tarentini, Melissi, Socratis, Platonis, Xenophontis, Periclis, Themistoclis, Epaminondae, Scipionum, Luculli, Fabii, Marcelli, Julii Caesaris, Bruti.

i.) Illustratio a lege Mitylenaeorum, qui bello victos non aliter muletabant, quam ut ne liberos suos litteras edocerent.

II. CONCLUSIO. Multum ergo ornamenti praesidiique litterae adferunt reipublicae.

ORATIO II. VOLUMINIS. I.

DE LAUDIBUS LITTERARUM,

Habita Venetiis mense Octobri An. MDLIV.

Quae singula hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere consuevernnt, Patres amplissimi, vosque caeteri cives ornatissimi, ea mihi sese hodierno die obiiciunt universa. Sive enim loci amplitudo afferre perturbationis aliquid potest, Venetiis dicimus: sive audientium dignitas, magna lectissimorum hominum adstante frequentia dicimus: sive ipsa ora-

tionis materia, dicendique conditio, ita dicimus, ut sit nobis eodem tempore de ingenio, de doctrina, de gloria, ornamentisque omnibus in hoc litterarum certamine perichtandum. Venetiis dicere, si quisquam est, qui parum putet, cum necesse est in maximarum, carundemque toto orbe notissimarum rerum ignoratione versari. Ecquis enim est hodie tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quo non hujus praestantissimae civitatis fama pervaserit? quis populus, quae gens, quae hominum natio vel tam immanis atque barbara, vel tam exculta disciplinis atque artibus, quam non jam pridem florentissima Venetorum Respublica non gloria modo et splendore nominis sui, verum etiam admiratione compleverit? Haec vero firmamenta Reipublicae, haec ornamenta Italiae, haec virtutum omnium laudandarumque artium praeclarissima lumina intuentem, non commoueri, tantum id quidem est, ut, non dicam in meam hanc mediocritatem ingenii, sed vix in quenquam hominem, qui caeterorum de se judicia extimescat, cadere posse videatur. Etenim si eloquentissimos olim viros accepimus, cum ad dicendum venissent, unius Principis aspectu ita conturbatos fuisse, ut obmutescerent: quid mihi tandem animi esse oportet, qui neque comparandus cum illis omnino sum, et apud vos dico, Senatores amplissimi, ad quos cum oculorum converto aciem, totidem mihi consessum Principum videor intueri? Ac caeteri quidem saepe ad eam excusationem confugiunt, ut se, cum tenuitatis suae conscii essent, tamen vel necessitate, vel officio impulsos, vel amicorum sive precibus, sive tempore aliquo adductos, dicendi munus non tam appetiuisse, quam detrectare non potuisse dicant; quam totam rationem nobis hodierno die ipsa rei natura, conditioque praecludit. Non enim detrectantes, sed ultro nobis deposcentes hanc dicendi prouinciam, ad eam non alienis precibus impulsi, sed vestra incredibili benignitate admissi sumus: ut si minus ex aliqua parte nostra vobis appro-

bata fuerit industria, caussa nulla sit, quin omnes accusandam potius nostram temeritatem, quam imbecillitatem subleuandam putent. Equidem cum et ab ineunte aetate, tum domesticis excitatus exemplis, tum ipsa hortante natura, honestarum artium studia coluerim, et ubi primum per aetatem licuit, quae mihi meo ipso labore pepereram, aliis tradere ingressus, novem prope iam annos in hac dicendi, ac docendi exercitatione consumpserim: tamen superiora illa considerans, ita commovebar animo, facile ut hoc potuerim abstinere consilio, nisi me huc summa de vestra singulari humanitate concepta spes, et magna quaedam approbandae vobis, si minus eruditionis, at certae voluntatis meae cupiditas impulisset. Ac mihi quidem, et, cujus rei caussa in hunc locum adscenderim, et ad quos verba facturus sim, cogitanti, prorsus ita videtur: nullo in argumento meam commodius orationem posse versari, quam si, litterarum disciplina, quantum non ornamenti solum, verum etiam praesidii bene temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atque ex veteribus seculis repetita memoria exponam: minime id quidem, quo vos, tales viros commonefaciam, excellentibus a natura ingeniis praeditos, a studiis liberalium doctrinarum eruditos, a diuturno assiduoque magnarum rerum usu peritos: sed quia libenter facio, ut, quarum artium percepta scientia unumquemque vestrum vehementer affici constat, earum animos vestros jucunda commemoratione delectem. Quae cum ita se habeant; mihique ipsa per se delectae ad dicendum materiae dignitas satis magnam audientiam factura videatur: tamen magis consuetudine, quam quod ita necessarium judicem, petam a vobis, ut mihi, res pulcherrimas brevi oratione comprehendere, meditanti, exigui temporis attentionem ne denegetis. Magna omnino vis, magnumque momentum positum est in litteris, viri amplissimi, ad conservandas, bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam cum felicitas publica, ad quam humana omnia

referenda sunt, e singulorum civium felicitate constet: singulorum autem felicitas in excolenda, exercendaque virtute praecipue sita sit; et ad perfectam virtutem consequendam, necessariam quandam praecursionem adhibeant litterae: illud profecto consequitur, ut, nisi in qua litterarum cultura vigeat, florere absolute civitas nulla possit. Ponite vobis ante oculos omnes aetatis humanae partes; omnem publicorum temporum varietatem; omnes instituendae vitae rationes et vias animo et cogitatione percurrite: nullam omnino reperietis, quae non ita litterarum auxilio indigeat, ut eas si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Eae nos, ubi primum firmius incedere, atque articulatius loqui coepimus, de ipso prope nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimae voluptatis alliciunt, allectos praeceptis saluberrimis complent: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonstrant vias: excitant in animis nostris igniculos gloriae: quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quae qui semel bene penitus imbiberint, ii nunquam non postea et vitii turpitudinem omni studio refugient; et officii honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Ut autem in semente posita spes messis est, ita totius reliquae vitae expectatio ab educatione pueritiae pendet. Ut vero infirmam illam ineuntis aetatulae teneritatem robur adolescentiae excepit, quae tandem alia res, aut animum praeclararum rerum studio accendere, aut efferentibus sese cupiditatibus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos iniicere, praeter litterarum tractationem, potest? Themistoclem olim, cum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis trophaeo, quiescere volentem, excitari. Quanto eos acrius incendi, atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute praestantium trophaea non e marmore constituta ad exigui praedicationem temporis, sed ad omnem aeternitatem commendata

litteris intuentur? Neque vero pertimescendum est, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris ii, qui aetatis suae florem litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta siquidem est oblectatio paulatim acquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris taedium, neque avocantium voluptatum blanditiae sentiantur. Itaque sapienter poetae, cum caeteros omnes Deos Veneris imperio subdidissent, in Minervam modo et in studiorum praesides Musas nihil ei, nihil Cupidini juris esse voluerunt. Quin etiam illud ab iisdem memoriae proditum est, Iasonem olim, caeterosque Argonautas, cum eam insulam, quae ab amoenitate, florumque copia nomen invenerat, praetervehi gerent, periculumque esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quae eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur, unum in Orpheo perfugium habuisse: qui cum assedisset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, qua rupes nemoraque traxerat, explicare coepisset, tanta simul aures animosque audientium voluptate compleuit, ut iam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento, quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula juventus est. Eam qui quasi praetervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditiis decepti, et a recto itinere abducti, in vada et scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyra? cujus suauitatem qui percipiunt, ii et Acheloidum cantus pro nihilo putant, et tandem institutum illud iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Nimirum ut major lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio majoris extinguit. Quanto autem voluptas ea, quae discendo sentitur, caeteris omnibus major, sinceriorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tri-

bunnt, satietatem tandem quandam esse, ac taedium, confitentur; hujus ut quisque percepit plurimum, ita eam acrius atque avidius concupiscit. Quod si cui forte dubium est, prodeat in medium Chrysippus, qui saepe studio intentus tanta voluptate perfruebatur, ut eum tanquam extra se positum cibi potionisque caperet oblivio. Prodeat solertissimus ille caelestium orbium non perscrutator tantum, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, prae ea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanae urbis direptione ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam! Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, aetatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; undique armorum sonitus, undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs pene dimota et convulsa sedibus suis, suorum civium in caede ac sanguine natabat: cum unius hominis mens in media civitate, civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solemem vero accepimus, cum in lectulo, morti proximus, decumberet, inaudissetque assidentes amicos de re quapiam submisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit jam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur clarius; sibi, si etiam morienti aliquid discere potuisset, discessum e vita jucundiorem fore. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Tenebatur homo sapientissimus gravissimo vi morbi defixus in lecto: vicinitate jam mortis ab omnibus pene corporis partibus sensus abscesserat: egregius ille animus, rex liber ac solutus futurus, e corporeis vinculis exsilire cupiebat: cum quicquid supererat virium, eo

contulit, ut deficiente lingva, vocibusque interruptis ac morientibus, suum doctrinae, cognitionisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse, qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Atheniensium Respublica, quam diu tam praeclari viri tenuit disciplinam. Sed, ut eo redeamus, unde nos facta praeclarissimorum hominum mentio paulisper abduxit: dici profecto non potest, adolescentes nobilissimi: vos enim, vos mea jam compellabit oratio: dici, inquam, non potest, ea studia, in quae nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis et ornamento, et auxilio futura sint, cum vos et generis vestri nobilitas, et vestra virtus ad Reipublicae gubernacula admoverit. Etenim quibus artibus civitates praecipue conservantur, pietate, justitia, fortitudine, inprimisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prodita monumentis. Neque vero haec a me ita disputantur, ut contendam, nisi litteris eruditum civem patriae utilem esse neminem posse: sed hoc dico, nisi litteris exculti sunt ii, qui, velut in Reibublicae puppi sedentes, clavum tenent, multis eos muneris sui, iisque praecipuis partibus necessario defuturos. Nam, cum duo publicorum temporum genera sint, unum pacis, alterum belli, quorum alterum semper optabile est, alterum nunquam optabile, nonnunquam necessarium; quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus jura describere, quantum cuique tribuendum sit, intelligere, civium inter se dissidia componere, verba publice facere, legationes cum laude gerere, praeterita tenere, futura prospicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit, videre, et ex aliis alia colligere poterit, nisi qui haec sibi de litterarum fontibus haurienda omnia existimaverit? Nisi vero eorum sententia recipienda est, qui fieri putant posse, ut qui Reipubl. praeest, quamvis litterarum sit expers, tamen ad eas res, quas modo enumeravimus, aliena opera non incommode utatur. An vero T.

Manlium Torquatum, memoriae proditum est, cum consul declaratus fuisset, excusasse valetudinem oculorum, et summum imperium detrectasse; quod indignum duceret, ei capita et fortunas caeterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur: qui alieno ingenio, alienaque lingua ad omnia uti necesse habebunt, ii satis ad gubernandos caeteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes, nihil prohibet acie ingenii etiam futura cernere, optimeque consulere: quales in fabulis Tiresiam, in historiis Appium legimus: cujus vero doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare praeclarum potest? Sed sunt quidam homines, qui cum litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus et honestam inprimis et utilem esse fateantur: iidem tamen cum occupata bello aliquo civitas est, latere eas, quasi perterritas metu, et inter tubarum lituorumque clangorem, nullum sui amplius praebere usum arbitrantur. Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, et quantum vel in medio bellorum tumultu litterae valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, tum isti fortasse aliquid dicerent: nunc quis est, qui cum mihi et maximum esse in bellis consilio ac prudentiae locum, et eas virtutes bona ex parte litterarum studio comparari, certe quidem insigniter augeri, confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse contendat? An ignoramus celebre illud regum regis Agamemnonis votum, qui, ut Troja facilius potiretur, non Achillis, aut Ajacis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum a natura praescripti ea longitudo est, neque ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit? itaque qui unum alterumve spectarunt, multum sibi militaris prudentiae collegisse existimantur. Quid eos judicabimus, qui hoc sibi diuturna librorum evolutione pepererunt, ut omnibus, quot

quot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quodsi quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam, rationemque cognosceret, eventus animo cerneret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensu tribueretur? At haec omnia, qui versantur in litteris, aliaque plurima, ac pulcherrima otiosi sedentes consequuntur. Taceo, quam multa expressa sint eruditissimorum hominum scriptis de virtute, de gloria, de caritate patriae, de animorum aeternitate, de praemiis, quae mortem manent eos, qui se pro patria animose ac fortiter gesserint: quae tantam vim habent, ut neque qui ea ignorent, verae laudis habere gustum, neque qui tractant, verae ac solidae gloriae ullam omnino rem anteferre possint. Quid illud, an non quantivis est, quod saepe labantes iam ac deficientes exercitus eloquentium hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedaemoniorum civitas, cujus exercitus Tyrtaei poetae versibus inflammatus, pulcherrimam illam de Messeniis victoriam reportauit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus praestiterint, aut fortissimos Imperatores, qui eruditionis et doctrinae gloria excelluerunt, enumerare instituam. Nam et Architam Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, et Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, et ter stipendia fecisse Socratem, et Platonem, et Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam praestitisse. Quid illa propugnacula Graeciae, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani imperii columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosque innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros, tum praestantes doctrinae studiis fuisse, historiae loquuntur. Nam Iulium Caesarem, quis nescit, utra laude praestaret, ambignum posteris reliquisse? Brutus autem, quanto litterarum ardore flagrauerit, vel ex eo colligi potest, quod ea ipsa nocte, quae mortem ipsius antecessit, Platonis dialogum de animo-

rum immortalitate legisse aliquoties, dicitur. Atque hoc praeclare olim intellexisse videntur Mitylenaei, praecipuam esse in Republica vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant, nullam eis aliam poenam irrogabant, nisi, ut ne liberos suos litteras edocerent. Sciebant videlicet eas tantum civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Cujus rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, Cives, quod viget hodie vestra Respublica, quod floret, quod beata est, quod cum caeterae orbis universi partes gravissimis bellorum tempestatibus agitentur, una haec (quod ei Deus Opt. Max. proprium ac perpetuum faxit!) in pace atque in otio conquiescit, aliunde id fieri creditis, quam quod ei et praesunt homines cum caeteris omnibus, tum hac eruditionis et scientiae laude clarissimi, et semper eorum simillimi praefuerunt? O divine Plato, tua sunt omnia et dicta et cogitata praeclara: Tu dicere solebas, tunc demum Respublicas beatas fore, cum eas aut Philosophi coepissent regere, aut qui regerent, philosophari. Tuum hoc sapientissimum oraculum perpetua jam mille amplius annorum felicitate Venetorum Respublica comprobavit. Equidem quo longius in altum evehor, Patres amplissimi, eo mihi amplior et patentior orationis quasi cursus ostenditur. Sed et temporis me ratio, et vestra singularis sapientia, ut vela contraham, portumque tandem aliquando respiciam, monet. Neque enim credibile est, posse aut me, aut quemquam de litterarum praestantia fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiscum melius, aut copiosius, quam unumquemque vestrum fucum loqui: et mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, si vos prius etiam atque etiam rogavero, ut si forte minus a me ornate ac copiose dictum est, quam et hujus loci amplitudo, et summa audientium dignitas postulabat, meum tamen idcirco placendi vobis studium ne improbetis. Ego quidem, si non indignus a vobis, qui

saepius audiar, judicer, erit, quod mihi magnopere gaudeam; sin forte: sed reprimam me, neque committam, ut meis ipse votis videar male ominari: qui tamen a tot tam praeclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non hujus modo laboris, sed totius anteactae vitae fructum hodierno die vestro singulari beneficio videor consecutus.

2.

DE DIGNITATE AC PRAESTANTIA STUDII THEOLOGICI.

ORATIO I.

Habita Lutetiae Parisiorum Non. Feb. MDLII.

Cum omnes mihi singulari quadam, ac praecipua laude digni videntur, qui in assequenda honestarum artium scientia operam et industriam suam collocant, tum ii praecipue, qui veluti majore quodam numinis afflatu perculsi caeteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, atque omnia studia contulerunt. Nam si eorum omnium, quae in hac immensa rerum universitate cernuntur, unumquodque naturali perficiendi sui desiderio tenetur: et animus noster ad similitudinem divinitatis effictus tanto perfectior est, quanto propius ad illud, ex quo ductus et propagatus est, exemplar accedit; dubitari profecto non potest, quin ea sit omnium praestantissima facultas, quae, quoad ejus fieri potest, cum humanis divina copulando, mortalitatem nostram, quantum illius imbecillitas patitur, divinae naturae arctissima colligatione devincit. De illius mihi facultatis laudibus, hodierno die, demandatum est ab iis, quorum et apud me plurimum valet, et apud omnes peraeque valere debet auctoritas, non ut eas quidem sigillatim percensere om-

nes, ac flore orationis convestire conarer, (quod et imperare iniquum esset, et suscipere temerarium) sed ut ex earum innumerabili copia pauca quaedam seligerem, de quibus ex hoc amplissimo loco, vobis audientibus, explicarem. Qua de re cum mecum initio ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinem, veritus ne idem mihi contingeret, quod nobili olim sophistae apud Annibalem de rebus bellicis longa accurataque oratione disputanti contigisse dicitur: si homo adolescens, et cum a caeteris rebus satis tenuiter instructus, tum in hoc genere penitus rudis, inter tot eruditissimos viros ad dicendum de rebus divinis aggrederer. Illud etiam me commovebat, quod praeclare a Platone scriptum noveram, orationi, et iis rebus, quae oratione tractantur, quandam inter se cognationem intercedere oportere; ex quo facile intelligebam consequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas divinum quoddam requireretur orationis genus. At ista quidem, re adhuc integra, fortassis majore quadam cautione providenda fuerint: nunc quidem jam semel altum ingressis, quae noscunque tempestas exceptura est, vela nimirum facienda sunt. Illud modo, antequam ulterius provehar, a vobis summopere contendo, ut, quando omne mihi perfugium in vestra bonitate ac clementia situm est, tenuitatem meam vestro favore et silentio sublevetis, quo mea oratio his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum facilius consequatur. Atque ut hinc exordiamur, si nihil diceremus aliud, nisi eam, quae antiquissimo vocabulo Theologia dicitur, scientiam esse quandam, quae divinae sapientiae thesauros hominibus reclu-deret, tamen illud, ut opinor, liquido constaret, quanto aeterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tanto esse hanc facultatem caeteris omnibus anteponendam. Sed quemadmodum qui praeclari alicujus aedificii pulchritudinem pervidere, ac penitus cognoscere cupiunt, non satis sibi esse ducunt illud uno totum aspectu contemplari, sed singulas eti-

am sibi partes accurate perlustrandas, ac seorsum considerandas putant: ita nos, si hujus praestantissimae facultatis partes paulisper excutere volverimus, tum demum, quanta illius pulchritudo sit, intelligemus. Theologia igitur, viri eruditissimi, ut a majoribus nostris accepimus, duabus praecipuis partibus continetur, quarum una in Lege posita est, altera in Evangelio. Est vero ea lex, de qua loquimur, non ab humano profecta consilio, neque similis earum, quae hominum libidine statuuntur, in quibus multa inepte ac ridicule, nonnulla etiam impie ac nefarie sancita reperias, sed primum quidem ab illo hujus universitatis parente ac opifice, Deo, in omnium hominum impressa, atque insignita animis, post etiam ejusdem Dei digito in tabulis insculpta lapideis, ne improbis ulla praetendae facinoribus suis ignorantiae occasio relinqueretur. Cumque eam in duo summa capita tribuere liceat, eorum prius, quae ad cultum numinis, posterius, quae ad tuendam hominum inter se societatem pertinent, omnia summa brevitate complectitur. Atque hinc vel inprimis naturae nostrae imbecillitatem licet agnoscere, quod cum pauca admodum, eaque suapte natura facillima praecepta sint, semper tamen deficiamus alicubi, neque unquam stabilem, inoffensumque cursum perpetuo retineamus. Tremefactus itaque comparatione sui cum divinis praeceptis animus, Christo se indigere cognoscat, in cujus sinum confugiat, cujus se viribus provehat, sub cujus bonitate, tanquam sub firmissimo aliquo clypeo, tutus ab iis, quae lege proposita sunt suppliciis delitescat, ut rectissime Paulus legem paedagogum, qui nos veluti manu apprehensos ad Christum deduceret, nominasse videatur. Eat nunc Lucianus aliquis: Perfricet frontem, et dicat, ullam esse legem, quae cum hac lege ulla ex parte comparari queat. Quid enim? Quae, Deum immortalem, portenta in omnibus omnino legibus, si ab hac discesseris, reperiuntur? Quarum aliae furta, aliae adulteria, aliae etiam quaedam multo turpiora permittunt, ut ni-

hil pene tam turpe sit, quod non legislator aliquis licere voluerit. Hanc vero sapientissimus ille Moses, non a Jove quodam commentitio, ut Minos; non ab Apolline, ut Licurgus; non ab Aegeria, ut Numa: sed ab eo, qui solus veri Dei nomine censendus est, sibi per manus traditam accepit, ita numeris omnibus absolutam, ut nihil neque immutari, neque adiici, neque detrahi possit. Sed ea tamen, uti antea dixi, morbum quidem nostrum commonstrare ac detegere nobis potest: depellere eundem, ac sanare non potest. Morbi autem cognitio magnam ei quidem vim maximumque momentum ad vires recuperandas habet, neque tamen tantum, ut in ea posita sint omnia. Quare Evangelio nobis Christus aperitur, qui modo firma in ipsum fide nitamur, non vana illa quidem, et ociosa, quam multi stulte et inaniter jactant, sed solida et bonarum actionum perpetuo foecunda, nos, velut humeris suis impositos, tollit in coelum. Orem omni praedicatione majorem! O nuncium vere jucundum et laetabilem! Cum humana natura primi parentis depressa lapsu pessum tota ferretur, tantam fuisse in filio Dei clementiam, ut delapsus e coelo, humanam formam induere voluerit, ut corporatus, ac carne tectus infinitis sese laboribus, cruciatibus, aerumnis, morti denique deterrimae, atque acerbissimae exposuerit, quo sudore ac sanguine suo ab animis nostris durissimum jugum aeternae depelleret servitutis. Tene, Christe optime, ut nos liberali caussa assereres manu, omnium Dominus cum esses, servi formam assumpsisse? Tene nobis quietem tuis laboribus, libertatem tua servitute, vitam denique tua morte peperisse? Admirantur historiae, veteres Pythagoreum quendam, qui se pro amico in caussa capitis vadem dare veritus non est: at hoc quanto admirabilius est, Dei filium, Deumque ipsum, ut nos, merito nostro inimicos sibi, aeternis eriperet suppliciis, tot, tam dira, ac vel dictu, vel cogitatu aspera, et horribilia sustinere voluisse? Et quisquam est, qui alias omnes, si in unum conferantur, scientias cum

hac, qua ista tam pulchra, tam admirabilia, tam divina tradantur, ullo modo comparandas putet? Haec vero una est omni cura; studio, contentione dignissima. Haec una est non tam liberalis vocanda, quam liberatrix. Haec aurea illa catena est, qua cum caelestibus terrestria copulantur. Haec scala illa est, quam olim per quietem sanctissimus Patriarcha vidit, cujus gradibus in coelum scandere liceat, atque illic Deum intueri, admirari, adorare, demittentem semetipsum ex augustissimo illo majestatis suae fastigio, seseque accomodantem ad humanae conditionis humilitatem: rursusque eundem defunctum nobili illa servandorum mortalium provincia, spoliatisque inferis (o rem omni humana cogitatione sublimiorem!) in coelum sublimem raptum, vallatumque ac stipatum infinita tum geniorum concinentium, tum hominum de caliginosissimis illis Satanae ergastulis erutorum multitudine, justo ac pleno triumpho coelum ingredientem, neque disjecta muri parte, sed valvis suo sangvine reclusis, iter eodem nobis omnibus aperientem. Atque haec quidem quamvis ejusmodi sunt, ut ad excitandum, inflammandumque quemlibet torpentem animum sufficere posse videantur: tamen ex tam ubere campo alia quaedam, nisi molestum est, proferamus. Vere enim illud affirmare posse videor, eruditissimi viri, quemadmodum Ptatonici elementorum in corporibus coelestibus quendam veluti florem, in hisce inferioribus quandam veluti fecem esse dicebant: ita rerum omnium cognitione dignarum in Theologia florem, in aliis scientiis fecem contineri. Namque ut hinc nostra se primum efferat oratio, quis nescit, quantopere se in perscrutandis rerum principiis veteres Philosophi torserint, quamque nihil, si res ad verum exigatur, effecerint? Dum alius mundum hunc, et quicquid in eo vel aspectabile, vel tractabile continetur, putat ex temeraria quadam minutissimorum corporum concursione coaluisse; qui si vel unam earum, quas somniabat, atomum cerebri habuisset, nunquam ista tam stulte, incogitanterque scripsisset:

alius aeternum esse eum, neque desiturum unquam, neque exordium ducentem ab ullo temporis principatu, non animadvertens hac ratione illam, a qua ipse tantopere abhorrebat, infinitatem induci: qui vero optime sensisse creduntur, tamen Deo veluti comitem quandam materiam adjungunt, quasi ut artifex, ita Deus sine materia nihil possit efficere. Quid Theologi? hujus universitatis auctorem esse ac effectorem Deum, qui cum innumerabilibus seculis antecessisset, quo temporis puncto ipsi placuit, mundum hunc, et quae illius ambitu continentur, sine ullis vectibus, sine ullis ferramentis, sine ulla materia, verbo tantum, ac nutu suo ex nihilo architectatus est: eundemque assidue sua bonitate ac prudentia continet, moderatur, fovet, omnes in eo rerum ac temporum varietates, vicissitudinesque efficit. Quod statos orbium coelestium cursus, quod certas siderum trajectiones, quod constitutis vicibus insignes ac notabiles rerum commutationes intuemur, haec et caetera omnia ad eum modum non fortunae temeritate, aut vi ulla materiae dirigi, sed divina providentia temperari. Contemplemur et alia. Quid de animo humano Philosophi? Alius eum cor ipsum esse dicit, alius cerebrum, alius cordi suffusum sangvinem, alius spiritum innatantem sangvini, alius harmoniam quandam, alius eum ex numeris conficit, alius ex atomis, ut mihi quidem ista consideranti certamen aliquod insaniae sufcepisse videantur. Ita ex hoc tam confuso, tam vario, tam multiplici teterrimarum opinionum veluti cinno, nihil fere colligere possumus, nisi semper copiosissimam messem hominum varie insanientium fuisse. Nam nonnulli quidem ea dicunt, ut eos in re tam seria risum captare atque aucupari putes, ut apud Dicaearchum Pherecrates, qui animum nihil omnino esse contendit, veritus credo, ne quid posset tam absurde aut fatue dici, ut id nemo dixisset philosophorum. Illa vero multo etiam apud eos perturbatior, atque implicatior quaestio est, permaneatne animus corporeis solutus vinculis, an qui corporum,

idem sit interitus animorum? Epicurus interire eos putat, nefas ratus, cum tam multa sibi cum suibus convenirent, se hoc uno ab eis interesse? Stoici longam eis vitam, ut cornicibus, sed non perpetuam tribuunt. Pythagoras vero jucundus est, qui remanere illos quidem docet, sed ex corporibus in alia corpora migrare, ut idem sit forte hodie gallus gallinaceus, qui tempore belli Trojani fuerat Agamemnon. Quid Plato? Quid Aristoteles? de hoc quidem illud Homericum dici potest:

Τυδείδην δ' ὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη
Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.

Obscuritate enim se involvens sua in neutram partem satis aperte propendet, ut bene in legem Solonis incurrere videatur. Ille avtem proxime quidem omnium accedit ad veritatem, sed ei tam multa mendacia admiscet, ut non absurde dicant, qui eum dicunt poëtice philosophari. Quid porro de iisdem rebus Theologi? Animum hominis simplicem quandam et individuam esse naturam, ad exemplar divinitatis expressam, licet ortus participem, tamen interitus expertem, quae, corpore soluta, si se pure ac pie gesserit, in coelum evolet, aeternam illic Dei beneficio adeptura felicitatem: sin se malis, iisque inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendam dederit, ad inferos nunquam desituris damnanda suppliciis deprimatur. Quod si quae de Deo a balbutientibus Philosophis dicta sunt, cum solida Theologorum doctrina comparare collibuerit, repertemus hos quidem certa omnia, et explorata, et salutaria tradere: illos vero neque satis, quid dicant, intelligere, et credula ingenia perniciosissimarum opinionum laqueis implicare. Itaque quod Homerus de Tiresia, Cato de Scipione dixit, idem de Theologia dici potest, eam videlicet sapere solam, reliquas disciplinas, velut umbras, per inane volitantes vagari. Quod si quis eam, quae ex levioribus studiis percipitur, amoenita-

tem requirit, ne eam quidem in feracissimis Theologiae campis frustra desideraverit. Nam sive Poëticis modulationibus aures demulcere meditamur, quis unquam ita in hoc genere excelluit, ut cum Davide comparatus non sordeat? Nisi forte Orpheum, Homerum, Pindarum, levissimis plerumque nugis verba fundentes audire praestat, quam illum Deo acceptissimum regem, nunc Dei laudes plena hilaritatis oratione referentem, nunc ejusdem auxilium in summis suis difficultatibus implorantem, nunc insectantem improbos, nunc commendantem Probos, nunc ea, quae multis postea seculis contigerunt, ita subiicientem oculis, ut nullus ea melius Apelles in tabula expingere potuisset. Sive historiae cognitione ducimur, unde veriores, unde scitu digniores historias, quam ex sacris litteris repetere poterimus? An vero scavius est cognoscere, quid Croeso in Medos, quid Pyrrho in Romanos expeditionem paranti obliique Apollo, quam quid Mosi ad pharaonem, quid Samueli in Palestinos proficiscenti; aperte ac perspicue Deus ipse responderit? quomodo Regulus a Carthaginensibus, quam quomodo Servator et Σωτήρ humani generis CHRISTUS a Judaeis omni crudelissimorum suppliciorum genere divexatus fuerit? fucundiusne, aut fructuosius arbitramur intelligere, quibus artibus Assyrii, Persae, Romani caeteras nationes devicerint, quam quibus augustissimi illi religionis nostrae principes, aliique deinceps innumerabiles eorum vestigia secuti Christianae ditionis terminos ampliaverint? O hebetes et stupidos, aut, ut verius dicam, miseros et perditos, si qui harum rerum suavitatem, fructumque non sentiunt: Contra vero o ter et quater beatos illos, quorum ita est affectus animus, ut nusquam suavius, quam in his studiis conquiescat: non eos aut inanium dignitatum, aut fluxarum opum adurit sitis: non eos voluptatum illecebrae molliunt, liberi et pravis omnibus cupiditatibus soluti, ex illo perenni puteo aquam aeternae vitae effectricem hauriunt: ex illis perpetuo virentibus campis flores suauissi-

mos colligunt, ex quibus qui odores afflantur, eorum nunquam est intermoritura suavitas: Deo serviunt, Deo adhaerent, ejus tantum gloriae velificantur, eo fruuntur, quaeque olim plene percepturi sunt gaudia, ea jam nunc mente ac cogitatione percipiunt. Ergo sive domi, sive foris versentur, cum Deo assidue colloquuntur, sive prosperis rerum utantur successibus, eidem ut prosperitatis suae auctori gratias agunt: sive quid eis adversi accidit, (quanquam quid ejusmodi viris accidere adversi queat?) sed tamen si quid eis accidit earum rerum, quas vulgus adversas vocat, neque indignantur, neque concidunt animis, sed verbo divino sese solantes, quidquid a Deo immittitur, summi beneficii loco habendum esse ducunt. Proh Deum immortalem! quid est, si hoc non est feliciter vivere; et in terris vitam coelestium imitari? O vitae Theologia dux, o virtutum omnium parens, vitiorum expultrix, animorum liberatrix? Quid sine te non modo nos, sed omnino vita hominum esse potuisset? tu depravatas impurissimis opinionibus hominum mentes, velut de integro interpolasti: tu distractos, dissipatosque variis idolorum cultibus homines in unius verae religionis societatem convocasti: tu magistra morum ac disciplinae fuisti: ac veluti sol exoriens, nubium caliginem dissipat; veluti sidus, quod Castoris et Pollucis dicitur, exortu suo maris rabiem placat, tempestatesque dispellit; ita tu divinitus exorta et tenebras ignorantiae dissipasti, et illo tuo salutari fulgore procellas veterum superstitionum dispulisti. Tu nobis velut Helice, aut Cynosura quaepiam es, ad quam universus navigationis, id est, vitae nostrae cursus dirigatur. Tu ignis ille coelestis es, quem verus ille Prometheus, id est, Christus in terras attulit, sine quo vita constare non potest. Tu et vitae tranquillitatem largita nobis es, et mortis terrorem sustulisti. Beatos igitur, qui ad te, tanquam ad portum, confugiunt: beatos, qui se tibi a teneris unguiculis penitus totosque tradunt: miseros contra, qui, ut proci Homerici, ancillarum amoribus

irretiti, te, quae omnium artium dominae es, negligunt. Tu enim earum rerum scientiam profiteris, quarum plena cognitio aeternam beatitatem, ignoratio aeternum exitium hominibus pollicetur. At vos, viri optimi, quos partim hujus praestantissimae disciplinae verticem consecutos, partim illius sacris imbutos atque initiatos videmus, macti, inquam, macti animis, nequ vos aut labor deterreat, aut voluptates avocent, quo minus i sacratissima illius adyta penetretis. Vobis enim vigiliarum su dorumque vestrorum, et māgna hic inter homines proemia, e infinitis partibus majora sunt in coelo divinitus constituta.

3.

ORATIO XXIV.

Habita Romae Anno clo lo LXXIV,

In funere Caroli IX. Gallorum Regis.

Hoc igitur unum restabat adflictis ac pene prostratis infelicis Galliae rebus, ut Carolus Rex, quo se illa recreabat ac solabatur uno, de quo cogitans, in quem intuens, omnium quas excepit acerbitatum memoriam deponebat, cum bonorum animos ad aliquam spem quietis erigere coepisset, in ipso ine untis adolescentiae flore, acerba atque immatura morte raperetur? O fallaces hominum spes! O incerta vota! O lubrica et ancipitia humanae vitae curricula! Merito lacrymis oculi omnium madent; merito omnia planctibus gemitibusque circumsonant; merito undique querelae et lamentationes exaudiuntur. Tu ipse, Beatissime Pater, cujus et in prosperis rebus specta-

ta moderatio est, et in adversis animi magnitudo, in tanto casu cohibere dolorem non potes: quasque lacrymas gravitas et constantia retinere ac frenare consueverat, eas nobilissimi omnium Regni miseratio, et paterna caritas elicit. Planeque aliis in rebus quaerenda est fortitudinis ac constantiae laus: in tam gravi vulnere, tam dubiis ac formidolosis Christianae Reipublicae temporibus accepto, immanis quaedam duritia esset, non flere, non ingemiscere, non commoveri. Qualem enim, quantumque Regem, et quanta, non dicam indole, (quod tamen in homine adolescente satis esse videretur,) sed quanta omnium regiarum virtutum copia praeditum amisimus? Quem cum divina providentia, annos natum non amplius decem, in illo celsissimo majorum suorum solio collocasset: quantas ille iam tum, quamque crebras, in illa aetate, quae nihil cogitare, nihil loqui, nisi leve, ac ludicrum, solet, inusitatae cujusdam et inauditae prudentiae significationes dedit? Incredibile dictu est, quam saepe ille in deliberationibus publicis sapientissimorum senum sententiae puerulus anteverterit, quaeque illi dicere in animo habebant, ea prior ipse protulerit: nemo ut esset, cui non, in tanta annorum immaturitate, tanta mentis et consilii maturitas divinum potius quiddam, quam humanum, videretur. Est certe, est aliqua vis originis ac sanguinis; quosque magnis ac nobilibus populis rectores destinavit praepotens ille rerum omnium moderator DEUS, in eis plerumque virtus non exspectat annos: sapientiaeque semina in eorum animis et comprehendunt facilius, et tempestivius adolescunt. Iam quae laus in filiis praecipua est, reverentia adversus parentes, et eorum praeceptis ac monitis obtemperatio, ea ille ita praestitit, ut nunquam omnino neque privatis, neque publicis in rebus voluntas ipsius a sapientissimae matris consilio discreparit. Quid? in fratres quanta, quamque se omni ex parte prodens charitas? Quod et semper alias cognitum est, et proxime cum ab Henrici Regis in Poloniam pro-

ficiscentis amplexu avelli non poterat, seque a vita relinqui, quod ab eo relinqueretur, putabat. De pietate autem in Deum et de ardentissimo studio, quod semper habuit conservandae ac propagandae Catholicae Religionis, quid ego nunc plura praedicem, aut quid res in omne aevum omnium scriptorum ingenia fatigaturas exornare in hac mediocritate ingenii, et in his temporis angustiis coner? Cui enim ignotum est, aut cui notius, quam tibi, Beatissime Pater, vobisque omnibus, Patres amplissimi, quos ille labores pertulerit, quibus difficultatibus conflictatus sit, quae pericula subierit, quibus damnis se Regnumque suum sponte mulctaverit, dum quidvis satius esse ducit, quam ut quidquam in Gallia, se vivo, de Christianae Religionis integritate minueretur? Qui quot annos regnavit, totidem continenter pro fidei defensione pugnavit. Etenim tetra illa natio perditorum ac profligatorum hominum, qui fraudibus ac mendaciis suis nuper delapsae de coelo et sibi solis patefactae veritatis nomen obtendunt; qui, quod ad legem Dei, cupiditates suas dirigere gravantur, legem Dei ad cupiditates suas detorquere conantur; quorum conspirationes sub Henrico II. initae, sub Francisco II leviter patefactae, susceptis a Carolo Regni habenis, aperte se ac propalam effundentes, florentissimum, dum per illos licuit, Galliae Regnum omni scelere ac crudelitate lacerarunt, non tam id agebat, (quanquam id quoque,) ut Regiam auctoritatem convelleret, quam ut Regnum ab Ecclesiae communione divelleret. At ille generosi seminis adolescens, qui amorem Dei et Ecclesiae ipso nutricis lacte suxisset, totaque mente penitus combibisset, articulatim se prius concidi ac comminui passus esset, quam a recta illa regula patriae et avitae religionis abduci. Itaque dum purgare Regnum suum pestibus nititur, dum illius hydrae et in suam et aliorum perniciem contumacis assidue renascentia capita amputare conatur: quatuordecim (tot enim regnavit annos) in perpetuis bellorum fluctibus, et in perpetua

Regni ac vitae suae dimicatione transegit. Ut, nisi pulcherrimum illud Christianissimi cognomen a majoribus suis hereditarium accepisset, id ipse sibi posterisque suis sua virtute peperisset. Quin etiam, cum capitales quidam ac nefarii homines dicerent, facilem ei esse et expeditam viam non modo ad pacandum Regnum suum, sed etiam ad fines illius sine ullo labore amplificandos ac proferendos, si remittere aliquid de tanto illo votustae religionis conservandae studio vellet: magno animo aversatus ac detestatus illorum consilia, omnes sibi coronas, omnia regna, omnia imperia sordere dixit prae illa immortalitatis corona, quam sibi in coelo repositam esse confideret. Cumque eum exaggeranda hostium multitudine ac viribus perterrefacere vellent: Dominus, inquit, Dominus ipse eos interficiet spiritu oris sui. Prope supervacaneum videri potest, cum de tam Christiano Principe verba faciam, quanta illius erga sedem Apostolicam observantia fuerit dicere. Quo enim quis que Christum ipsum sanctius et religiosius colit, eo studiosius et magis ex animo Vicarios ipsius colat, necesse est. Quo modo ille de Pio V. cujus memoria in benedictione est, et sentiebat et loquebatur? Quem sibi non hominem, sed angelum quendam humana inter mortales specie versantem videri dicebat: cujus monitus tanquam caelestia quaedam oracula reverebatur. Nam de te, Beatissime Pater, qui successor illius omnium votis expetitus, divino consilio electus, tam subita tamque admirabili totius sacrosancti Collegii consensione declaratus es, quam magnifice in omni sermone praedicare solitus esset; dicerem, si, quam facile praestas, ut ab omnibus uno ore lauderis, tam libenter eos, a quibus laudaris, audires. His ille artibus ita sibi bonorum omnium animos voluntatesque devinxerat, ut, quanquam ex ejus aetate et temperatione corporis, probabiliter sperare poterant, diu se illius virtute fruituros: cuperent tamen omnes, si fieri potuisset, partem aliquam vitae suae conferre ac contribuere, et annis suis vi-

tam illius prorogare. Sed nihil in humanis rebus firmum, nihil stabile, nihil diuturnum reperiri potest. Dum condocefacere nos vult Deus, terram nobis non pro domicilio, sed pro diversorio datam; hanc, quae vita dicitur, non tam vitam esse, quam iter ad vitam; in coelo, non in terra, nobis esse spem defigendam ac collocandam: agitat omnia arbitratu suo, et, quae solida ac firmis nixa radicibus putantur, ea momento temporis vertit. Cum vexata tot calamitatibus Gallia paulum tolleret oculos. et Dei ac Regis sui perduellibus partim fractis ac domitis, partim captis ac comprehensis, tandem aliquando se post tot mala respiraturam sperare inciperet; ecce tibi lenta et omnem fallens medicorum industriam febris, vires adolescentis immortalitate digni, et nati ad relinquendum omnibus bonis perpetuum desiderium sui, ita paulatim attrivit ac labefactavit, ut ad postremum inevitabilem ei attulerit ex hac vita migrandi necessitatem. Quod ubi percrebuit, qui tum plangor omnium, quae complorationes, quae lamentationes fuerunt? Alius sibi scindebat capillum, alius lacerabat genas, alius pectus et humeros crebris ictibus verberabat; alii interire amores ac delicias Galliae, alii cadere columen religionis, alii Catholicorum praesidium dejeci, alii alia, quae diversis diversa non diversus suggerebat dolor, miserabiliter querebantur. Ipse unus interritus, et aequissimo animo exitum divinae voluntatis exspectans, cum matrem, uxorem, fratrem, caeterosque propinquos ad se convocari jussisset, primum quidem Sacramenta, quibus morituri praemuniri, et Deo conciliari solent, omnia et poposcit, et magna cum animi summissione ac divinae majestatis veneratione suscepit; deinde vero contestatus, eo tantum sibi molestam esse mortem, quod fratrem suum, tum Poloniae, mox etiam Galliae Regem futurum, moriens complecti non posset; caeteroqui gaudere se, quod tantum successorem habiturus esset, cujus singulari et tot jam documentis comprobata virtute, non dubitaret fore

ut res Gallicae feliciter componerentur; interea obtestari, atque obsecrare matrem, ut regni gubernacula susciperet, quaque prudentia Regnum sibi tot annos conservasset, eadem fratri suo conservaret; sese jam tunc omnem potestatem regiam in eam, usque ad fratris reditum, transferre; hortari caeteros, ut ipsius primum, deinde fratris, cum revertisset, imperio amanter ac fideliter obtemperarent; praecipue autem, ne quid unquam prius, aut antiquius haberent conservatione Catholicae religionis: ex ea bona omnia fluere; ea neglecta collabi ac concidere omnia. Sed iam valete, inquit, et mei memores este. Ego enim ad Deum vocor: quem ut aequiorem ac placabiliorem peccatis meis judicem experiar, vestris me omnium adjuvari precibus postulo. Haec fatus, deficiente jam, et moribunda voce, tuum, Christe IESU, nomen invocans, tuam sanctissima Virgo apud filium opem implorans, ad vos, ut confidimus, evolavit. Ac, si quidem ipsum spectemus, gratulari ei potius quam lugere debemus. Regnum enim terrestre coelesti, laborem quiete, mortalitatem immortalitate mutavit. Quod mortuus est, humanae fragilitatis est; quod ita mortuus, divinae cujusdam felicitatis. Bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Aut jam coronavit eum Deus, aut brevi, tuis, Beatissime Pater, et totius Ecclesiae precibus adductus, coronabit corona justitiae, quam promisit diligentibus se. At illam tot Regum matrem, toties jam custodem ac conservatricem Regni, ipsa sua felicitate miserandam, quo nunc, quo tandem esse animo creditis? quae ex summis honoribus summos dolores consecuta, ter iam, et in viro et in duobus filiis mortua, vitae suae superstes, toties ore suo eorum clausit oculos, a quibus claudi cupiebat suos; tam saepe eis officia praestitit, quae sibi ab eis praestari maluisset. Quid illa fortissimarum domina gentium Gallia? quae sibi eodem funere cum Rege suo efferri visa est; quae jacet adhuc perculsa et attonita tanto vulnere, metuens,

ne, illius atrocitate, etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescant. Proh Deus optime maxime, etiam cum ulciscēris, benefice, etiam cum poenas exigis, misericors: quibus tam gravibus culpis tam diuturnam in se iram tuam Gallia provocavit? Duatuordecim jam anni sunt, et eo amplius, cum illud potentissimum et memoria nostra florentissimum Regnum perpetua bellorum civilium serie ita et ab alienis et suis vexatur, ac diripitur, ut de eo iam dici possit, quod scriptum est apud Prophetam: Residuum erucae comedit locusta: et residuum locustae comedit bruchus: et residuum bruchi comedit rubigo. Atque ut magis intelligatur, id divina ultione fieri, quoties inibi esse videtur, ut iam jamque componantur ac tranquillentur omnia, in ipso, ut ita dicam, portu frangitur navis. Properat Henricus II pacem cum Philippo Rege Catholico quibuslibet conditionibus facere, ut, expeditus belli curis, hujus mali nascentis semina elideret: in ipso ejus rei conatu ac molitione, inopinata morte sublatus est, Sub Francisco II. conspiratione detecta, spes objecta erat, fore, ut paucorum supplicio caeterorum audacia in perpetuum reprimeretur; Ante ipse mortuus est, quam de sontibus comprehensis supplicium sumeretur. Nunc nuper eo rem perduxerat Carolus IX ut omnes instare finem malorum existimarent. Aliter Deo visum est, qui Henrico III Galliae et Poloniae Regi, quem tam multis tamque illustribus argumentis sibi charissimum esse declarauit, hanc felicitatem, ut speramus reservare maluit. Neque dubium est, hoc ita eventurum, si omnes nos a vitiis nostris aversi, quae Dei placandi certissima ratio est, tota mente convertamur ad Deum, eumque assidue obsecremus, ut compescat iram suam: et, quando Carolum in sinum, ut speramus, suum excepit, Henrici III ductu, sub Gregorio XIII, raptores quidem lupos interfici; oves autem, quae aberrarunt, in ovile suum reduci velit. Ita eveniat, Domine IESU, cui laus omnis et gloria debetur in omnem aeternitatem.

4.

VOLUMINIS II.

ORATIO II.

De S. Iohanne Evangelista.

Habita in Sacello Pontificio VI. Kal. Ian. M. D. LXXXII.

Tribus de caussis ab Ecclesia divinitus institutum arbitror, Beatissime Pater, vosque Patres amplissimi, ut quo die cujusque Sanctorum memoria recolitur, eodem die de vita ac laudibus ipsius aliquid publice disseratur. Primum, ut eis honos debitus non pro ipsorum dignitate, sed pro virium nostrarum tenuitate, tribuatur; deinde ut omnes nos ad persequenda pro suo quisque modulo, eorum vestigia incitemur; postremo, ut, cum eos et generis nostri amantissimos, et apud Deum, cum quo regnant, gratiosissimos esse, intelligamus, opem ipsorum ad conciliandam nobis Dei gratiam postulemus. Hodie igitur cum mihi, licet immerenti, minimeque ad tantum munus sustinendum idoneo, mandatum sit, ut in hoc maietatis et venerarionis plenissimo loco de illius, quem Christus eximie praeter caeteros amavit, s. Iohanis Apostoli et Euangelistae lavdibus breviter disseram: tria illa, quae dixi, quantum in me erit, praestare conabor: sperans fore, ut non propter me, (neque enim dignus sum, qui hic audiar,) sed propter eum, de quo dicturus sum, mea benigne ac placide excipiatur oratio.

Quid igitur primi in hoc sanctisimo planeque divino viro lavdabimus? Quid primum proponemus, quod imitemur? Quid prius, quam, quod Christo se vocanti ne tantulum

quidem reluctatus facilem se illi statim ac morigerum praebuit? Nulla ille adhuc cum admirabilia opera edentem viderat; non regio cultu atque apparatu nitentem, non ingenti satellitum turba stipatum videbat; neque tamen ita respondit: Quis tu es, qui tam pro imperio, ut te relictis omnibus sequar, jubes? Quam mihi spem, si id fecero, vitae melioris ac nitidioris ostentas? Nihil tale: sed illo divinae vocis oraculo, tanquam penetrabili quodam jaculo, usque ad ipsam animae medullam transfixus ac transverberatus, desertis parentibus, abjecto omni instrumento artis, qua usque ad eum diem victitarat, nulla interposita mora, totus ad Christum et corpore et animo transiit. Nimirum ut exsiccata materia ignem facile comprehendit; sic animus ille ab omni improba cupiditate purus ac siccus ad conjectam unicam ignis divini scintillam totus exarsit. Felix piscatio, felix iactus, felicia retia, quibus piscator ipsemet captus, eum vicissim, a quo captus est, cepit! At nos miseri in medio Ecclesiae gremio nati atque educati, tot testimoniis, tot miraculis, tot sacramentis confirmati, quam saepe vocanti nos Christo resistimus? quam saepe pulsanti cordis nostri fores aperire nolumus? quam saepe nos sub alas suas congregare cupientem refugimus? Jam vero cum se ad optimum magistrum optimus discipulus contulisset, ita se ad illius voluntatem conformare, ita sermones illius avide haurire, ita ex nutu illius pendere coepit, ut nunquam ab ejus latere discederet; nihil sibi praeter eum dulce, nihil amabile, nihil expetendum duceret; omnem spem, omnem svavitatem, vitam denique ipsa in eo videndo atque avdiendo positam crederet. Itaque tanta sibi eum charitate devinxit, ut ab eo, quem amor erga homines hominem fecerat, ipse tamen eximie ac singulariter prae caeteris omnibus sectatoribus ac discipulis amaretur. Cujus praecipui amoris causam quamvis magni ac probati scriptores ad perpetuam et animi et corporis castimoniam referunt: ego tamen, ut hoc

non nego, ita non dubito, etiam alia fuisse, quae tantam illi apud Christum gratiam conciliaverint. Omni ex parte amore dignissimus fuerit oportet, quem optimus judex amore dignissimum judicavit. Et quando in divinis litteris ne propria quidem plerumque singulorum nomina mysterio carent: vere hic ac merito Iohannes vocatus est, quo in nomine Hebraicae lingvae periti divinae gratiae significationem inesse ajunt. Neque vero facile dixerim, utrum majus ac praestabilius sit, plus caeteris amare Christum, an plus caeteris a Christo amari: quorum illud Petro, hoc Iohanni sacrarum litterarum auctoritate tribuitur. Novit hoc, qui novit omnia. Nobis certum exploratumque sit, et summe amari, qui summe amet; et summe amare, qui summe ametur. Et tamen ille Coryphaeus Apostolorum et a Domino aliquoties acriter et severe objurgatus legitur, et illum durissima illa ac pavoris plenissima nocte ter abnegavit: hic purissimus Domini amator neque unquam ab eo confitendo deterritus est, et eum usque ad ipsam crucem secutus esse perhibetur. Ter et amplius beata copula, quae Deum et hominem, cum homine Dei simillimo, indissolubili amoris nodo colligavit! Propter hanc igitur nullis humanis verbis enarrabilem charitatem, testis perpetuus adhibitus est a Domino illis omnibus operibus, quibus ipse divinitatem suam quam maxime patefacere quasique contestari volebat. Vidit eum non modo morbos fugantem, immundos spiritus eijcientem, coecos videre, surdos audire, mutos loqui jubentem, mortuos excitantem, ventis et fluctibus imperantem, quod alii quoque viderunt: sed cum Dominus admirabilem illam divinitatis suae gloriam quibusdam ex Apostolorum numero, mortali adhuc corpore conclusis, aliqua ex parte spectandam exhibere statuisset, ejusque rei causa in montem Thabor conscendisset: ad hoc gloriosissimum spectaculum Johannem cum aliis duobus adsumsit. Ea quoque nocte, qua futurum erat, ut in manus inimicorum traderetur,

cum, ut qui verus homo esset, cogitatione imminentium contumeliarum et appropinquantis saevissimae mortis angeretur, ob idque Patrem oraturus a multitudine secederet: eosdem sibi tres illos comites, quibuscum animi sui moerorem familiarius communicaret, abduxit.

At haec, quanquam magna sunt, ei tamen cum aliis communia sunt: quae subjungam, hujus propria ac peculiaria. Cujus enim amoris videtur, quod in illa mysteriorum plenissima coena, quam Dominus cum suis, antequam morte sua mortem nostram deleret, exegit, qui in illo sacrosancto sinu recumberet, hic potissimum electus est? Tunc videlicet, illius beatissimi pectoris pressu, in quo Pater omnes scientiae ac sapientiae thesauros condiderat, in morem ejus aquilae, sub cujus figura eum tanto ante Ezechiel viderat, non usque ad tertium modo coelum, ut Palus, sed longe supra omnes coelestes orbes evectus, et ipse coelum quodammodo effectus, ea non tantum didicit, sed vidit ac spectavit, quae eum postea exponeret, Theologi nomen proprie effecit suum. Inde illa fluxerunt, quae cum immortali voce intonaret, cur a Domino tonitrui filius vocatus esset, ostendit. Vidimus, vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre. Et rursus. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverant de verbo vitae, testamur et annuncianus vobis. Neque non illud singulare, quod Dominus in cruce jam pendens, id quod charissimum habebat in terris, nitidissimum illud domicilium Spiritus sancti, illam omnis maculae expertem matrem suam Johanni commendavit, cumque illi filium esse jussit. Beatissima Virgo, quid tibi tunc animi fuit, cum, alterum tibi enatum filium audires? Certe unum pepereras, unigenam ut DEI, sic tuum. Sed veri amoris ea vis est, ut ex pluribus unum efficiat. Ita vere dicere poteras, hoc quoque filio accepto unicum tamen tibi filium esse. Tu vero, beatissime Apostole

quantam tunc amoris praerogativam consecutus es? quantum tibi a Domino supra caeteros cohaeredes praelegatum est? Quantam consolationem sensisti acerbissimi doloris, quem ex Domini morte capiebas, cum talem thesaurum apud te ab eo deponi cum te ipsius voce in suum locum substitui videres? Jam minus miror, quod subvectus amoris alis ad sepulchrum ipsius ea celeritate properasti ut etiam Petro praecurreris: quod cum in vitam superata morte rediisset, stantem in littore primus agnoveris. Obversabatur ille tibi perpetuo ante oculos: neque poterat ulla res intervenire tanta, quae memoriam ipsius ex animo tuo oblitteraret. Longus sim, si caetera sigillatim persequi velim: ut ferta illa et opima Asiae arva divini verbi semine obseverit; ut mortiferum poculum innocuus obduxerit; ut in ferventis olei dolium injectus, illaeso corpore exierit, tanquam nefas ducente flamma, eos artus violare, quos nulla unquam libidinis flamma violasset; ut relegatus in Pathmon, divinum illum libellum Apocalypseos conscripserit, quo, quae postea contigerunt, ita complexus est, ut non ea eventura vidisse, sed eorum, cum jam evenissent, historiam contexuisse videatur; ut rogatu fratrum, ad retundendam Cerinthi, Ebionis, Marcionis rabiem, Evangelium jam centum, ut S. Chrysostomus auctor est, natus annos litteris consignaverit; ut cum prae senectute ad plura verba non sufficeret, cygneam illam cantionem: Filioli, diligite inter vos, saepe in Ecclesia iteraverit, cum hoc praecepto omnia diceret contineri; ut denique, cum Ephesi in summa trinquillitate usque ad centesimum et vicesimum aetatis annum adventum Domini exspectasset, ita ut Dominus fore praedixerat, excessu placidi soporis simillimo ad eum evolarit. O te, sanctissime Johannes, supra quam a nobis, aut dici aut cogitari potest, beatum! qui virgineo nitore, Apostolica dignitate, Evangelistae gloria, Martyrii, citra violentam mortem laurea, prophetico spiritu, unus ex omni coelicolarum numero insignis, quae sin-

gula caeteros ornant, consecutus es universa. Tu, tu igitur, Beatissime, suscipe caussam nostram! pone nos apud eum in gratia, apud quem tu semper in maxima gratia fuisti! commenda nos ei, quae tibi commendata est, ut ei, qui tibi illam commendavit, utriusque precibus commendemur! tu, cui venenum nocere non potuit, effice, ne cuiquam nostrum haereticorum venena noceant! ut, quem oleum fervens non laesit, impetra nobis, ne unquam pravarum cupiditatum fervore laedamur! procurato Christianis principibus illam, quam tu tantopere commendabas, pacem et animorum conjunctionem! inprimis autem Gregorio XIII Clementissimo Patri ac Domino nostro, obtine a Christo placidissimam et tuae simillimam senectutem: ut, cum Ecclesiae pacem fundaverit, cum oves, quae aberrarunt, in Christi ovile reduxerit, cum quod facere jam feliciter exorsus est, ut nomen JESU omnium gentium lingvis celebretur, effecerit: vigil, prudens, fidelis dispensator inventus, super omnia bona constituatur, illius, qui cum Patre et Spiritu sancto unus DEUS vivit et regnat ultra omnem aeternitatem! Amen.

III.

SERMO.

De incitamentis cumprimis persuadentibus, ut homo suscipiat juris dicendi munus, atque de voluptate ex eo oriunda,

HABITUS

ANNO 1777. DECEMBRIS 21 DIE

EA OCCASIONE, CUM ACTUS APERIENDAE IN URBE JAROSAAVIA NOVAE PRAEFECTURAE, ABSOLUTUS ESSET

A

SANCTISSIMAE SYNODI SOCIO

SAMUELE ARCHIEPISCOPO;

Ex Rossico in Latinum sermonem transfusus.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

Cum super terram olim agens Salutis nostrae restitutor et Dominus, semina diuinae suae doctrinae spargeret, fertilemque omnis generis virtutum vineam plantaret, sed rem interdum secus, atque voluit et optauit, succedere perviderat; prae acerbitate cordis, et indignatione animi haec protulit verba: *) mes-

* Matth. IX. 37. XXII. 14.

sis quidem multa est, sed operarii pauci. Multi sunt vocati, sed pauci electi.

Iam iniqui illius temporis cursus, qui ex sanctissimo ipsius ore, tanto dolore referta elicuit, vel potius dicam, extorsit verba, effluxit, iam penitus elapsus est.

Cum enim hoc tempore AUGUSTISSIMA, caelitus UNCTA, nostra MONARCHA CATHARINA II, quae Salvatoris nostri et personam in terris gerit, et potestatem ejus obtinet, plantat sancta sua manu vineam, ut in illa justum atque aequum crescat in diesque augmentum capiat: Cum ope suarum prudentissimarum constitutionum invitat, et excitat Unumquemque ad obeunda varii generis munia, quae perinde ad omnium, atque singulorum emolumentum referuntur; iam aperiens multam messem, invenit cum voluptate animi sui et operarios multos, iam accersens ad exequenda consilia sua, omni generi humano proficua, reperit non minus et electos. Quamobrem, cum id unice illa in animo habeat, ut de materna sua in vos benevolentia plusquam certi sitis, videtur mihi non alia nunc auribus vestris, quam ista et suavitatis et laetitiae plena inculcare dicta *) Ego vos elegi, ut abeatis, et fructum feratis, vesterque fructus duret. Studete ratum efficere vestri vocatum ac electionem.

Superest itaque id unicum, ut omnes qui optimis auspiciis ejus, ad istud magni momenti opus delecti estis, agatis perficiatisque ardantissime omnia, quae a vobis pius animi affectus, integra fidelitas, justum sanumofficium denique jusjurandum cumprimis requirant: mearum autem partium esse duco, ut perinde animis vestris imprimam illa maximi ponderis incitamenta, quae vos suscipere citra omnem detrectationem istam provinciam alliciunt, atque sensibus vesris instillem eam voluptatem, quae ex illo munere in vos redundare valet,

* Joan. XV. 16. 2 Pet. I. 10.

I. Causa movens.

1. *Deus.*

Unusquisque hominum non minus exculto ingenio clarus, ac morum probitate ornatus, quoquo versum oculos mentis flexerit, passim et ubique obvias habet ejusmodi causas, quibus convictus non potest sponte nonadduci, quo jus administret, et aequitatem colat. Si enim ille ratione sua persequi vellet, unde primam sanctum istud officium repetat originem, profecto fontem ejus ipsum esse Deum deprehendet: quippe quodlibet judicium, nullo interveniente medio, ad divinam non vero humanam referri potestatem sacris edocemur litteris. *) Videte, quid agatis: non enim hominibus, sed Jovae judicabitis.

O, quam ingens atque efficax stimulus! oquanti momenti propter animos Christo addictos, res est! num fieri potest, ut homo ab eo venerando titulo abhorreat, quem ipse Deus sibi vindicat? Ille namque est supremus omnium judex. Num, inquam, fieri potest, ut humanus animus aversus sit ab opera iis negotiis nananda, quibus intervenit ipse aeternus legum justitiae conditor? Siquidem ille, ut regius asserit vates, stat in coetu deorum, hoc est eorum, et qui populum terrarum moderantur, et qui jus administrant, **) in medio autem Deos dijudicabit.

2. *Potetas.*

Si illo ante animum suum ponet id divinum instrumentum, cujus ope defertur ipsi hocce aeque Deo gratum, atque proximo commodum munus, nequit certe, quin persentiscat

---

* Par. XIX. 16.
** Psal. LXXI. 1.

intus haud vulgarem quandam vim, quae in animo ejus studium, ut sit in coetu consultorum, et consensu jus administrantium, summopere excitat.

Instrumentum istiusmodi est suprema et supereminens potestas. *) Itaque quis quis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit. Instrumentum, inquam, istiusmodi sunt illi, quorum corda, ut impetus aquarum consistunt in manu Iovae Ideirco qui morigerum se praebet eorum voluntati, respondet una et ipsius Dei edicto.

3. *Conscientia.*

Si etiam ille excutiet se ipsum, et in sinu, quod ajunt, si respiciet eum ducem qui praeeundo nobis semper, et in omnibus nostris operibus aperit lumen sensibus nostris insitum, si studebit attendere voci, quae ex imo animi nostri promanat videlicet voci conscientiae, voci intimi nostri judicis, sine quo nec jus, nec aequum, nec decorum perspicere licet, sine quo nec verum a falso, nec malum a bono unquam discerni queat; profecto nunquam fieri potest, ut non ardeat illius animus eo puro amoris erga proximum igne, quo incalescunt animi fido consensu et faedere societatem constituentes; simultas vero, discordia, et omnes pravi affectus, qui sua violentia eum extinguunt, et vim ejus praece dunt, cosumuntur et radicitus tolluntur. Ecquae enim res efficacius cor humanum excitat ad bonum proximo praestandum, et offenso ei satis faciendum, quam vox concientiae, nullo temporis puncto intermisso, dilacerans et conficiens animum hominis, atque eum configens istis vel his similibus verbis? Cur gemitibus et suspiriis fratrum tuorum tuas aures, quibus illae obtunduntur, attentas haud praebes? Cur miseris calamitosis-

*) Rom. XIII. 2. Prov. XXI. 1.

que, qui manus suas ad coelos tollunt, atque coarctationem dierum suarum exposcunt, renuis auxiliatricem porrigere manum. Cur obversans tuis oculis matrem gementem, et ejulantem super natum suum infantem, terrore non concuteris? Cur messis usui miserorum destinata, ex humili casa rapinis exhauritur? Cur innocentia mactatur et lancinatur nomine legis, cujus officium est vi et tenore suo eam muniendi, eique patrocinandi, et tu conticescis? Etiam atque etiam memineris oportet; te a Deo constitutum esse custodem proximi tui, et illum etiam ex te, ubi Abel frater tuus? quaesiturum, e manu denique tua sangvinem ejus repetiturum. Haecce humanae conscientiae vox non ne acriter feriet ei attentum? Nonne coget illum cantare Domino jus innocentiae viam prudenter insistentem?

4. *Considerotio principii et finis vitae humnae.*

Si demum ille continuando istud examen, eo etiam, quid ille intus, et quid, ut dicitur, in cute sit, probe cognito reputet apud se illud quoque tempus, quo, ut in rerum natura sit, principium et finem sortitus est, nullus dubito, quin confestim possit ei oriri, prompta animi voluntas ineundi tam magni momenti officium, Hocce enim pacto cognitum perspectumque habebit, haud cocco se quodam fato, aut incerta quadam manu in apertam istam terrae faciem, tanquam abortum egestum: sed sapientissimo divino consilio destinatum, ut fungeretur officio in ordine caeterorum, qui reipublicae adferunt utilitatem, se etiam ut praeditum animo interitus experte, nunquam posse otiosum esse, sed ad id natum conformatumque, ut nunquam careat sua energia, siue denique ferias agat, siue negotia tractet, in summa: omnia, quaecunque animo et sensibus ejus succurrunt, devincire cum, ut sit utile societatis membrum.

Quisquis itaquehunc in modum se excussum noverit, profecto fieri non potest, quin sua sponte gestiat amplum et sanctum istud gerere judicis titulum, cujus beneficio vir et magni nominis, et justitiae laude florens evadit.

5. *Levitas et tenuitas obstaculorum.*

Et quid est, quod hominem, cujus omnia consilia ad bonum tendunt, possit reddere aversum ab iis honestis, et generoso animo dignis facinoribus, quibus justitia depressa, et despicatui a mundo ducta extollitur, et denuo collocatur in suo splendido solio. Perniciosae vero perinde mendacium ac calumnia lingvae, quippe quae res est abominanda, et quae dexterrimae naturae humanae repugnat, denudatur, et enormitas ejus omnibus plane conspicienda exponitur. Num metuet, ne incurrat paenam apud Deum? Sed talis metus est certa et propria nota illius, qui istud officium susque deque habet, et ut ita dicam, conculcat pedibus suis. Qui peregrini, pupilli, viduae causam pervertet, qui accipiet munus ad percutiendum quemquam caede innocentis. Num supremam potestatem extimescet? *) Sed vis eam non timere? benefacito, et ab ea laudem consequeris. Verum si malefeceris, formida: Dei minister est ad irrogandas poenas iis, qui malefaciunt. Num vitia et summa maleferiatarum mentium perversitas in causa sunt, ut animum despondeat? atqui virtus omnibus repagulis, ubicunque occurrunt, fractis, vim suam amplius exerit, et altius furgit. Ad emendandam enimvero deterrimam rerum conditionem, et in meliorem revocandam, requiritur cumprimis promta et expedits animi voluntas conjuncta cum assidua, et perpetua cura. Num calumnia, quam graeci vocant διαβολήν, malum illud, quo non acrius perturbat sensus, non gravius

---

*) Rom. XII. 5. 4.

confodit animos ulla res, afficit angore? Sed nihil est, cur maerore conficiaris *): Deus est, qui corda et renes scrutatur habet perspectas et cognitas hominum cogitationes et consilia. Scit ille pios ex periculis eripere, et injustos ad judicii diem custodire. Num vitia ingrati animi lacessunt?. Sed praestat sexcentos, ut ita dicam, immemores meritorum felices reddere, quam vel unicum, cui subsidium non praestetur, deserere. Eccur aegre ferat homo, sua merita vicissim non compensari meritis? Num Deus non est, qui mercedem ei retribuat? Num ipsa virtus et animi integritas non sunt ipsae sibi merces? Imo vel ipso hocce nomine gloria illius reddilur illustrior. Nam de referenda gratia haud quaquam sollicitus eum quidem offendit, sed splendorem magni et excelsi illius animi quam maxime intendit. Hacce in re imitetur ille necesse est ipsum Deum, **) quo solem suum oriri faciat in malos juxta ac bonos, et justos injustosque compluat. Num stat per conscientiam, quominus inimicorum causae judicentur? atqui hac ratione peropportuna praebetur occasio cum pravos et distortos affectus superandi, tum opus insolitum, et secus, quam fert prava consuetudo, expediundi ***). Si enim iis, ut sacrae literae perhibent, benefacitis, qui vobis benefaciunt, quae vobis gratia debetur? Num imbecillitas, et virium tenuitas adimunt spem laborandi cum successu? ****) Sed virtus Dei in imbecillitate perficitur. Num asperae vigiliae et somni penuria afferunt molestiam? Sed potest ne is, qui virum et quidem probum agit, unquam dormitare, et securus in utramque, ut ajunt, dormire aurem praecipue eo tempore, quo malum tanquam sopore, ut ita dicam. excusso jam expergisci-

---

* 2 Petr. II. 9.

** Matth. V. 45.

*** Luc. VI. 33.

**** 2 Cor. XII. 9.

tur, serpit, gliscit, et invalescit, quo seditiosi voluptatum et libidinum affectus excitantur et surgunt. quo vitia evigilant, quo omnis generis iniquitas arma sumit contra universum Christiani orbis caetum, quo homo iniqui tolerans incommoda fati et acerbo doloris sensu perculsus. privatur vel minima quiete, quo insons catenis vinctus, in ergastulum detrusus, expergefactus de somno nihil leuaminis persentiscit, sed nouo compedum suarum onere premitur?

Cum itaque homo summa voluntate propendet, et veluti aestu quodam consulendi publico bono agitur, cum totus in eam rem incumbit, quae aperit januam, et pandit viam declarandi amorem hominibus, eorum consortibus, atque toti carissimae patriae; facile quivis colligere potest, quam sint tenuja, exilia, et vana omnia obstacula.

II. Voluptas oritur.

1. *Ex amica proximo praestita ope.*

Equidem nihil est, quod ad immutandas mentes, quae variis frequenter opinionibus transversum aguntur, magis excitet, nihil est, quo animi magis capiantur atque flectantur, quam illa voluptas, quae manat ex opera justitiae addicta. Ecquid est, quod nobis majori, quam vita nostra, sit caritati? Sed haec etiam non aliter in hac rerum Universitate prorogatur, quam conjunctione cum vita caeterorum, praestando scilicet amicam eis opem. Ecquid potest esse jucundius, quam promovere humani generis prosperitatem et tranquillitatem? atqui in hoc ipso unice consistit tota justi aequique ratio. Imo et memoria istorum insignium facinorum perpetuo durat, atque ita vigebit, ut nunquam sit in oblivionem ventura; reliqua autem, cum ostentationis plurimum, rei nihil contineant, pariter acqualiterque cum mentita gloria evanescunt.

Perperam contendunt, nullam rem tanta vi pollere, ut possit pluris aestimari, quam gustus-amoenitatum, gustus oblectationum pro voto et voluntate fluentium, et studium perfruendi omnibus suavitatibus ac deliciis; cum honestissima oblectamenta, et suavissima in curriculo vivendi voluptas unicè consistat in hoc officio, ut homo agat patrem pupillorum, judicem viduarum, auctorem publicae prosperitatis, et rigidum legum vindicem. Quisquis hic reclamabit, cum penitus ignorare oportet, unde promanet jucunditatis sensus, et qua in re momentum verae voluptatis situm sit.

2. *Ex deligenti collatorum in alios beneficiorum repraesentatione.*

En tibi voluptatem illam, praeter quam nulla praestantior, nulla amplior animo nostro unquam obtingere potest! cum ego nactus ab omni cura vacuum tempus, solus, placidae per muta silentia noctis, omnia mea cogitatione in munere mihi concredito defixa, horas atque momenta, quae exacta sunt, animo lustro, et laetus revocatis ad calculum operibus meis, ita mecum ipso loquor. Temporis, cujus usura mihi concessa est, haud me poenitet: illius enim opportunitate usus, liberani non paucos a temerario arbitrio et effrenata cupiditate potentum. Faciles aures meas praebui querelis incolarum, quibus nihil in quoquam opis, nihil auxilii erat. Repressi et veluti frena injeci ferocibus, atque crudelibus afflictoribus, qui è casis miserorum auferunt per rapinam illas quoque conditas res, quas paupertas eorum ineluctabili necessitati reservavit. Restitui ereptas de manibus agricolae illas epes, quae ad augendas cumulandasque opes sunt destinatae. Praestiti levamen misero gravitate assiduorum laborum opresso, qui vel invitus portat etiam onera ditiorum. Effeci, ut quietè tranquilleque vitam agant multae familiae, quae, convulsa sua

conditione. perturbatae atque graviter offensae erant. Ope meâ bona pupillorum haereditaria manibus raptorum, quibus nihil satis est, extorta, jure iterum iis restituta sunt. Me invalidus usus est fulcro et adminiculo. Ego lachrymas, quas quaestu ducti et lucro, expresserunt ex oculis miseriâ afflatorum, mea manu abstersi. Provide curavi, quominus sacra auri fames, opprobria atque convitia perperam in alios jacta, contra fas omne et aequum deleret. Euictum dedi, quominus sub fulgore tumidae superbiae latitaret sordidus animus. Illum denique, qui inter homines numerus est, et fruges consumere natus, qui genio suo indulget, et cuticulam, ut ajunt, curat, et in quem perpetuo convertit suam societas curam, velut e veterno quodam excitaui, addidique calcar, ut semper dignis laboribus fungeretur.

3. *Ex praestantia eorundem.*

Ecquid, si ab istis discedas, tam efficax est, ut hominem in extasim pene rapiat? Ecque oblectationes cum istis conferri possunt? Nescio, quae voluptas atque triumphus in animo tuo oriri valeant, si conjunctis infinitae multitudinis vocibus haec tibi iterata exaudies. Tu veri germanique patris affectum in nos induisti. Non tulisti, non passus es, non siuisti unquam, ut morum et vitae integritas opprimeretur. Omnes acerbitates nostras dulcedine quadam temperasti. Si, inquam, sexcenti hominum conjunctis etiam animis tibi acclamabunt: Summum Nomen semper tibi faveat, o aequissime judex! commendetur aeternitati memoria tua, assiduis laudum praeconiis celebranda. Mactetur deinceps illa, ut ita dicam, divino pro honore in perpetuum. O quam jucundum atque sua el ipsum istud temporis punctum! O quam integra, ne umbra quidem maculae notata voluptas! Nullus eam percellit metus, nulla opprobria infestant, nulla inanis atque

vana gloria convellit et evertit; cum istorum animi affectuum non quidvis aliud sit fons et origo, quam ipsa aequitas, ipsa justitia, et impensa publico bono promovendo pervigil opera.

Qui isto voluptatis sensu non afficitur, nae ille luctatur cum ea vi sibi ingenita, quae nunquam cum, ad tam generoso animo digna, stimulare cessat! nae ille, prava suae voluntatis contentione, negat se esse communi humanitatis sensu praeditum!

III. Admonitio.

Vos autem quibus auctoritate et munere AVGVSTISSIMAE nostrae Monoëratoris speculum justi aequique traditum est, Vos, inquam, plenissimi vigoris animi! quorum proprium esse puto, ut in hacce vita ejusmodi voluptatis fructibus pascamini, agitedum maturetis, praebere fervidi vestri studii, quantum situm est in vobis, documenta, exantlare magnos labores, nec non quodlibet saxum, ut dicitur, voluere, omnia denique munera, quae vobis a natura data sunt, intendite Agatis tenujum, pupillorumque causam, inopes et pauperes absolvatis *). Tenues et egenos liberetis, eos ab impiorum defendentes injuria. Scio profecto non mediocris laboris et contentionis rem esse, ad quam vos excito; sed satis etiam novi, eam generoso animo vestro ita dignam esse, ut cum vestro officio indivulso nexu cohaereat. Cogitetis itaque oportet, totius nunc patriae oculos in vos esse conversos, quibus non aliter cumulate satisfieri potest, quam si tam praeclaros vestros actus, quos caepistis proponere velut in quodam Theatro, cum praecipua laude et applausu omnium absolvatis. Insistatis hancce viam posito omni metu. Constantia animi, quae sedem in praecordiis vestris fixit, addit vobis animum. pietas in patriam inspirat vobis promptam voluntatem. Sapientia in throno Rossiaci Imperii collocata, quae invenit no-

vum tramitem, struit novam vitam comparandi acquitatem, liberalitate et benignitate sua, supra exempla vulgaria posita, vos erigit, recreat et spiritus subdit. Caetera omnia suppeditabit vobis summus Deus, qui simul aequitatis cultores amore prosequitur, simul virtute claros extollit *). Vos tantum, munus, quod a Domino accepistis, implendum curetis: siquidem istius muneris officium hujusmodi est, ut non solum sanctorum egestates suppleat, verum insuper hoc tam probando officio in causa sit, nt multi Deo gratias agant.

Amen.

II.

ORATIONES BREVIORES.

I.

EX LIVIO COLLECTAE

1.

ORATIO

VETURIAE,

Ad Filium Coriolanum

Ex lib. II. cap. XL.

ARGUMENTUM.

Ad bellum incitati Volsci, communi consensu ac voluntate imperium ad Coriolanum atque Attium deferunt. Ii cum copiis Romam contendunt, toto itinere oppida in deditionem et potestatem accipientes. Romani posteaquam id nunciatum fuit, de pace oratores mittunt, qui, quum re infecta redirent, iamque prope esset, ut agris vastatis Romam obsiderent, matronae, seu privato, seu publico consilio pervincunt, ut et Veturia, mater Coriolani, Volumniaque uxor cum duobus parvis liberis in castra hostium irent. Quod ubi Coriolano fuit nunciatum, principio negligebat: propere deinde ut amens quum matri complexum ferret, Veturia his verbis ejus animos fregit.

Sine prius, quam complexum accipio, sciam, ad hostem, an ad filium venerim: captiva, materne in castris tuis sim? In hoc me longa vita et infelix senecta traxit, ut exulem te,

deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras, inoredienti fines, ira cecidit? Non, quum in conspectu Roma fuit, succurrit, intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater, conjux, liberique? Ergo ego nisi perissem, Roma non oppugnaretur: nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem? Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius, quam mihi miserius, possum: nec, ut sim miserrima, diu futura sum. De his videris: quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa servitus manet.

2.

ORATIO
LEGATORUM TUSCULANORUM.

in Senatu, qua se purgant.

Ex lib. VI. cap. XXVI.

ARGUMENTUM.

Tusculani oratores, sicuti suaserat Camillus, Romam ad petendam pacem missi, hospitaliter vocati, causam suam ita egerunt.

Quibus bellum indixistis, intulistisque, P. C. sicut nunc videtis nos stantes in vestibulo curiae vestrae, ita armati paratique obviam imperatoribus legionibusque vestris processimus. Hic noster, hic plebis nostrae habitus fuit, eritque semper, nisi si quando a vobis, proque vobis, arma acceperimus. Gratias agimus et ducibus vestris et exercitibus, quod oculis magis, quam auribus, crediderunt: et, ubi nihil hostile erat, ne ipsi quidem fecerunt. Pacem, quam nos praestitimus, eam

a vobis petimus: bellum eo, sicubi est, aversatis, precamur. In nos quid arma polleant vestra, si patiendo experiundum est, inermes experiemur. Haec mens nostra est; Dii immortales faciant, tam felix, quam pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixistis; etsi revicta rebus, verbis confutare nihil attinet; tamen, etiamsi vera sint, vel fateri nobis ea, quum tam evidenter poenituerit, tutum censemus. Peccetur in vos, dum digni sitis, quibus ita satisfiat.

3.

ORATIO

M. POPILII CONSULIS,

qua suos milites adhortatur.

Ex lib. VII. cap. XXIV.

ARGUMENTUM.

Scipione consule morbo implicito, M. Popilio collegae ex plebe bellum permissum erat adversus Gallos, qui jam in agro Latino castra fixerant. Victoria belli ejus jam ad Romanos inclinata erat, quum consulis laevus humerus machaera prope trajicitur. Eo vulnere permoti langvidique milites facti, jam propedum certam victoriam amiserant, quum consul alligato vulnere ad prima signa progressus, in haec verba militem adhortabatur.

Quid stas, miles? non cum Latino Sabinoque hoste res est, quem victum armis, socium ex hoste facias. In bellua strinximus ferrum hauriendus, aut dandus est sangvis. Propulistis a castris, supina valle praecipites egistis, stratis cor-

poribus hostium superstatis. Complete eadem strage campos, qua montes replestis. Nolite exspectare, dum stantes vos fugiant. inferenda sunt signa, et vadendum in hostem.

4.

ORATIO

P. DECII,

qua suos ad erumpendum ex colle occupato adhortatur.

Ex lib. VII. cap. XXXIV.

ARGUMENTUM.

P. Decius tribunus militum, indicato loco consuli, quo evaderet, cum praesidio ad collis verticem pervenerat. Eo Samnites diu multumque progredi conati, huc atque illuc signa vertebant: modo collem circumdabant, modo viam patefaciebant. Decius spe pugnandi destitutus, primum centuriones ad se vocat, quibus hostium inertiam exponit, deinde milites ad erumpendum adhortatur.

Quaenam illa inscitia belli ac pigritia est? aut quonam modo isti ex Sidicinis Campanisque victoriam pepererunt? Huc atque illuc signa moveri, ac modo in unum conferri, modo educi videtis. Opus quidem incipit nemo; cum iam circumdati vallo potuerimus esse tum vero nos similes istorum simus, si diutius hic moremur, quam commodum sit. Agitedum, ite mecum, ut dum lucis aliquid superest, quibus locis praesidia ponant, qua pateat hinc exitus, exploremus. Haec omnia, sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notaren

perlustravit. Cap. XXXV. Vigiliis deinde dispositis, ceteris omnibus tesseram dari jubet: ubi secundae vigiliae buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent. Quo ubi, sicut edictum erat, taciti convenerunt. Hoc silentium, milites, inquit, omisso militari adsensu, in me audiendo servandum est. Ubi sententiam meam vobis peregero, tum, quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti transibitis: quae pars major erit, eo stabitur consilio. Nunc, quae mente agitem, audite. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic vos circumvenit hostis, virtute cepistis locum, virtute hinc, oportet, evadatis. Veniendo huc exercitum egregium populi Romani servastis: erumpendo hinc, vosmet ipsos servate. Digni estis, qui pauci pluribus opem tuleritis, ipsi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoste res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam usus non sit; hunc tam opportunum collem imminentem capiti suo non ante viderit, quam captum a nobis: nos tam paucos tot ipsi millibus hominum nec adscensu arcuerit; nec tenentes locum, quum diei tantum superesset, vallo circumdederint. Quem videntem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum, oportet, fallatis; immo necesse est. In eo enim loco res sunt nostrae, ut vobis eo magis necessitatis vestrae index, quam consilii auctor, sim. Neque enim, maneatis, an abeatis hinc, deliberari potest; quum, praeter arma et animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecerit, fameque et siti moriendum sit, si plus, quam viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo una est salus, erumpere hinc, atque abire. Id aut interdiu, aut nocte faciamus, oportet. Ecce autem aliud minus dubium. quippe si lux exspectetur, quae spes est, non vallo perpetuo fossaque nos septurum hostem? qui nunc corporibus suis subjectis undique cinxerit, ut videtis, collem. Atqui, si nox opportuna est eruptioni, sicut est, haec profecto noctis aptissima hora est. Signo secundae vigiliae convenistis, quod tempus

mortales somno altissimo premit. Per corpora sopita vadetis; vel silentio incautos fallentes, vel sentientibus clamore subito pavorem injecturi. Me modo sequimini, quem secuti estis. ego eandem, quae duxit huc, sequar fortunam. Quibus haec salutaria videntur, agitedum, in dextram partem pedibus transite.

5.

ORATIO

HANNONIS AD CARTHAGINIENSES

contra Annibalem de foedere rupto.

Ex lib. XXI. cap. X.

ARGUMENTUM.

Factiones erant duae inter Carthaginienses ortae: altera Barchinorum, qui ad Annibalem imperium deferendum censebant: altera aliorum, cujus princeps Hanno erat. Is Annibali rerum summam tradendam non putabat: sed potius continendum cum domi sub legibus, docendumque vivere cum ceteris aequo jure sub magistratibus: ne is, velut parvus ignis, incendium ingens quandoque exsuscitaret. Ac jam cum Asdrubale populus Romanus foedus renovaverat, ut amnis Iberus imperii Romani et Carthaginiensium terminus esset, Saguntinis que mediis libertas servaretur. Major jam tum pars vicerat, ut Annibal praeficeretur bello, jamque ipse Saguntum summa ope oppugnabat, quum a Saguntinis legati de auxilio Romam mittuntur. Romani oratores eo ipso nomine missi, nec admissi ab Annibale, nec auditi sunt. Ac quum Carthaginem conquestum de foedere rupto ituros acciperet, litteras nuntiosque ad principes Barchinae factionis praemisit, quibus eos monebat, ut

suorum animos praeparārent, ne quid factio altera pro Romanis gratificaretur. Porro jam Carthaginem legati Romanorum pervenerant, quum Hanno, ipse alterius factionis princeps, in senatu de re, quae contigerat, ita sententiam peregit:

Per deos, foederum arbitros ac testes, monui, ac praedixi, ne Hamilcaris progeniem ad exercitum mitteretis. Non mihi, non stirpem ejus conquiescere viri: nec unquam, donec sanguinis nominisque Barcini quisquam supersit, quietura Romana foedera. Iuvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id cernentem, si ex bellis bella serendo, succinctus armis legionibusque vivat; velut materiam igni praebentes, ad exercitus misistis. Alunistis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsident exercitus, unde arcentur foedere: mox Carthaginem circumsidebunt Romanae legiones, ducibus iisdem diis, per quos priore bello rupta foedera sunt ulti. Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos, ab sociis et pro sociis venientes, bonus imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit. Hi tamen, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsi ad vos veniunt, res ex foedere repetunt. Publica fraus absit: auctorem culpae et reum criminis deposcunt. Quo lenius agunt, segnius incipiunt; eo, quum coeperint, vereor, ne perseverantius saeviant. Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite; quae terra marique per quatuor et viginti annos passi sitis. Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Hamilcar, Mars alter, ut isti volunt. Sed Tarentho, id est, Italia, non abstinueramus ex foedere; sicut nunc Sagunto non abstinemus. Vicerunt ergo dii hominesque, et id, de quo verbis ambigebatur uter populus foedus rupisset, eventus belli, velut aequus judex, unde jus stabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Hannibal vineas turresque admovet. Carthaginis moenia quatit ariete. Saguntī ruinae, falsus utinam vates sim, nostris capitibus incident: susceptumque cum Saguntinis bellum, habendum

cum Romanis est. Dedemus ergo Hannibalem? dicet aliquis. Scio, meam levem esse in eo auctoritatem, propter paternas inimicitias: sed et Hamilcarem eo periisse laetatus sum, quod, Si ille viveret, bellum jam cum Romanis haberemus: et hunc juvenem, tanquam furiam facemque hujus belli, odi ac detestor. nec dedendum solum ad piaculum rupti foederis; sed, si nemo deposcat, devehendum in ultimas maris terrarumque oras, ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen fameque ejus accedere, neque sollicitare quietae civitatis statum possit. Ego autem ita censeo, legatos ex templo Romam mittendos, qui senatui satisfaciant: alios, qui Hannibali nuntient, ut exercitum ab Sagunto abducat, ipsumque Hannibalem ex foedere Romanis dedant. tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.

6.

ORATIO

ALORCI HISPANI

ad Saguntinos, qua pacis conditiones, quas Hannibal ferebat, exponit.

Ex lib. XXI. cap. XIII.

ARGUMENTUM.

In summa Saguntinorum desperatione, Alcon Saguntinus inconsciis ceteris ad Hannibalem transiit, spe atque consilio agendi de pace. Quae res in caussa fuit, ut, quum tristes conditiones deferret Hannibal, quas certo sciebat ille ceteros non accepturos, non ausus redire, apud hostem maneret. Tum forte Alorcus Hispanus sub Hannibale quidem militabat, ceterum

Saguntinis veteri amicitia atque hospitio junctus: is pro Alcone interpres Saguntum ingressus, veteribus amicis in hanc sententiam conditiones exsposuit.

Si civis vester Alcon, sicut ad pacem petendam ad Hannibalem venit, ita pacis conditiones ab Hannibale ad vos retulisset, supervacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Hannibalis, nec transfuga ad vos venissem. Quum vero ille, aut vestra, aut sua culpa, manserit apud hostem; (si metum simulauit, sua; vestra, si periculum est apud vos referentibus:) ego, ne ignoretis, esse aliquas et salutis et pacis vobis conditiones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni. Vestra autem causa me, nec ullius alterius, loqui, quae loquor apud vos, vel ea fides sit, quod, neque dum vestris viribus restitistis, neque dum auxilia a Romanis sperastis, pacis unquam apud vos mentionem feci. Postquam nec a Romanis vobis ulla spes est, nec vestra jam aut arma vos, aut moenia satis defendunt, pacem adfero ad vos magis necessariam, quam aequam: cujus ita aliqua spes est, si eam, quemadmodum ut victor fert Hannibal, sic vos ut victi audiatis: si non id, quod amittitur, in damno, (quum omnia victoris sint,) sed, quidquid relinquitur, pro munere habituri estis. Urbem vobis, quam ex magna jam parte dirutam, captam fere totam habet, adimit: agros relinquit; locum adsignaturus, in quo novum oppidum aedificetis. Aurum argentumque omne, publicum, privatumque ad se jubet deferri: conjugum, vestraque corpora, ac liberorum vestrorum servat inviolata, si inermes cum binis vestimentis velitis ab sagunto exire. Haec victor hostis imperat. Haec, quanquam sint gravia atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem haud despero, quum omnium potestas ei a vobis facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. Sed haec patienda censeo potius, quam trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora vestra conjuges ac liberos belli jure sinatis.

7.

ORATIO

CUJUSDAM CARTHAGINIENSIS,

qua legatis Rom. de consilio oppugnationis Saguntî respondet.

Ex lib. XXI. cap. XVIII.

ARGUMENTUM.

Legati Romani Romam Carthagine redeuntes, quum quae responsa a Carthaginiensibus, quaeque Sagunti agerentur, referrent: uno omnes consensu copias in Africam et Hispaniam ducendas esse censebant. Ut tamen omnia justa ante bellum fierent, legatos rursus Carthaginem mitti placuit, qui percontarentur, publicone, an privato consilio Saguntum Hannibal oppugnasset: si faterentur ac defenderent, publico; tum demum justum indicerent bellum. Iam dato Senatu Q. Fabius, princeps legatorum, percontatus erat, quum ex Carthaginiensibus unus ita respondit.

Vana vestra, Romani, et prior legatio fuit, quum Hannibalem, tanquam suo consilio Saguntum oppugnantem, deposcebatis: ceterum haec legatio verbis adhuc lenior est, re asperior. Tunc enim Hannibal et insimulabatur, et deposcebatur. nunc a nobis et confessio culpae exprimitur, et, ut a confessis, res exemplo repetuntur. Ego autem non, priuato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit, quaerendum censeam: sed utrum jure, an injuria. Nostra enim haec quaestio atque animaduersio in civem nostrum est; nostro, an suo fecerit arbitrio: vobiscum una disceptatio est, licueritne per foedus fieri.

Itaque, quoniam discerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant: nobis vobiscum foedus est a Lutatio consule ictum: in quo cavetur utrorumque sociis, nihil de Saguntinis, (nec dum enim erant socii vestri) cautum est. At enim eo foedere, quod cum Hasdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur. adversus quod nihil ego dicturus sum, nisi quod a vobis didici. Vos enim, quod C. Lutatius consul primo nobiscum foedus icit, quia neque auctoritate patrum, nec populi jussu ictum erat, negastis, vos eo teneri. itaque aliud de integro foedus publico consilio ictum est. Si vos non tenent vestra foedera, nisi exauctoritate aut jussu vestro icta; ne nos quidem Hasdrubalis foedus, quod nobis insciis icit, obligare potuit. Proinde omittite Sagunti atque Iberi mentionem facere, et, quod diu parturit animus vester, aliquando pariat.

8.

ORATIO

HANNIBALIS

ad Hispanos milites.

Ex lib. XXI. cap. XXI.

ARGUMENTUM.

Hannibal, Sagunto capto, Carthaginem novam in hiberna concesserat. ibi quum audisset, quae de se Carthagine ac Romae dicta decretaque forent, se videlicet non ducem belli modo, sed caussam: partitis ac divenditis reliquiis praedae, ad se Hispanos milites convocavit, quibus consilium suum de transferendo bello ita exponeret:

Credo ego vos, socii, et ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniae populis, aut finiendam nobis militiam, exercitusque

dimittendos esse: aut in alias terras transferendum bellum. Ita enim hae gentes, non pacis solum, sed etiam victoriae, bonis florebunt, si ex aliis gentibus praedam et gloriam quaeremus. Itaque, quum longinqua ab domo instet militia, incertumque sit, quando domos vestras, et quae cuique ibi cara sunt, visuri sitis; si quis vestrum suos invisere vult, commeatum do. Primo vere, edico, adsitis, ut diis bene juvantibus, bellum ingentis gloriae praedaeque futurum incipiamus.

9.

ORATIO
P. SCIPIONIS

suos adhortantis.

Ex lib. XXI. cap. XL. seq.

ARGUMENTUM.

P. Scipio ad ostium Rhodani congressus cum hoste, caesis fere utrimque paribus, subito Numidarum pavore atque fuga victoriam obtinuerat. Exercitus ejus victoris maximam partem C. Scipioni fratri tradidit ducendam in Hispaniam adversus Asdrubalem. Profectus non multo post navibus Pisas, exercitum tironem adhuc et trepidum a Manlio Attilioque accipit, spe atque consilio cum hoste ad Padum confligendi. Itaque ubi in conspectum hostium Poenorum ventum est, hac oratione militum animos ad egregie pugnandum adhortabatur,

Si eum exercitum, milites, educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos. Quid enim ad hortari referret, aut eos equites, qui equitatum hostium

ad Rhodanum flumen egregie vicissent: aut eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem sequutus, confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui? Nunc, quia ille exercitus, Hispaniae provinciae scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit, ubi eum gerere senatus populusque Romanus voluit; ego, ut consulem ducem adversus Hannibalem ac Poenos haberetis ipse me huic voluntaris certamini obtuli. Novo imperatori apud novos milites pauca verba facienda sunt· Ne genus belli, neve hostem ignoretis; cum ijs est vobis, milites, pugnandum, quos terra marique priore bello vicistis; a quibus stipendium per viginti annos exegistis: a quibus capta belli praemia, Siciliam ac Sardiniam, habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque animus, qui victoribus et victis esse solet. Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt: Nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos, duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis. (quum plures paene pericrint, quam supersunt,) plus spei nactos esse. At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis ulla possit. Effigies, imo umbrae hominum; fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa, rupesque, ad haec, perusti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata fractaque arma, claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis: reliquias extremas hostium, non hostes, habebitis. Ac nihil magis vereor, quam ne, antequam vos cum hoste pugnaveritis, Alpes vicisse Hannibalem videantur. Sed ita forsitan decuit, cum foederum ruptore duce ac populo deos ipsos, sine ulla humana ope, committere ac profligare bellum: nos avtem, qui secundum deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere. Cap. XII. Non vereor, ne quis me hoc vestri adhortandi caussa magnifice loqui existimet; ipsum aliter animo adfectum esse. Licuit in Hispaniam,

provinciam meam, quo jam profectus eram, cum exercitu ire meo: ubi et fratrem consilii participem, ac periculi socium haberem, et Hasdrubalem potius, quam Hannibalem hostem, et minorem haud dubie molem belli: tamen, quum praetervehererer navibus Galliae oram, ad famam hujus hostis in terram egressus, praemisso equitatu, ad Rhodanum movi castra. Equestri proelio, qua parte copiarum conserendi manum fortuna data est, hostem fudi; peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia adsequi terra non poteram, regressus ad naves, quanta maxima celeritate potui, tanto maris terrarumque circuitu, in radicibus Alpium obvius fui. Huic timendo hosti utrum, quum declinarem certamen, improvisus videor incidisse, an occurrere in vestigiis ejus? Lacessere ac trahere ad decernendum? Experiri juvat, utrum alios derepente Carthaginienses per viginti annos terra ediderit: an iidem sint, qui ad Aegates pugnaverunt insulas, et quos ab Eryce duodevicenis denariis aestimatos emisistis: et, utrum Hannibal hic sit aemulus itinerum Herculis, ut ipse fert, an vectigalis, stipendiariusque et servus populi Romani a patre relictus: quem nisi saguntinum scelus agitaret, respiceret profecto, si non patriam victam, domum certe, patremque et foedera Hamilcaris scripta manu, qui, jussus a consule nostro, praesidium deduxit ab Eryce; qui graves impositas victis Carthaginiensibus leges fremens moerensque accepit: qui decedere Sicilia, qui stipendium populo Romano dare, pactus est. Itaque vos, ego, milites, non eo solum animo, quo adversus alios hostes soletis, pugnare velim: sed cum indignatione quadam atque ira: velut si servos videatis vestros arma repente contra vos ferentes. Licuit, si voluissemus, ad Eryeem clausos ultimo supplicio humanorum, fame interficere: licuit victricem classem in Africam trajicere, atque intra paucos dies fine ullo certamine Carthaginem delere, veniam dedimus precantibus: emisimus ex obsidione; pacem cum victis fecimus; tutelae nostrae deinde

duximus, quum Africo bello urgerentur. Pro his impertitis, furiosum juvenem sequentes, oppugnatum patriam nostram veniunt. Atque utinam pro decore tantum hoc vobis, et non pro salute, esset certamen. Non de possesione Siciliae ac Sardiniae, de quibus quondam agebatur, sed pro Italia vobis est pugnandum: nec est alius ab tergo exercitus, qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat: nec Alpes aliae sunt, quas dum superant, comparari nova possint praesidia. Hic est obstandum, milites, velut si ante Romana moenia pugnemus. Unusquisque se non corpus suum, sed conjugem ac liberos parvos armis protegere putet: nec domesticas solum agitet curas, sed idemtidem hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus senatum populumque Romanum, qualis nostra vis virtusque fuerit, talem deinde fortunam illius urbis ac Romani imperii fore.

10.

ORATIO
HANNIBALIS

Suos adhortantis.

Ex Lib. XXI. cap. XLIII.

ARGUMENTUM.

Hannibal in transitu Alpium barbaros multos, bellum inferre volentes, ceperat, quos in vinculis habuit: adhortaturus milites ad pugnam, eorum barbarorum multa paria congredi, detractis vinculis, armata, more Gallico, in conspectu militum ex industria jubet: quibus aliquanto post dimissis, in haec verba suos adhortatus est:

Si, quem animum in alienae sortis exemplo paulo ante habuistis, eundem mox in aestimanda fortuna vestra habueri-

tis, vicimus, milites neque enim spectaculum modo illud, sed quaedam veluti imago vestrae conditionis erat. Ac nescio, an majora vincula, majoresque necessitates vobis, quam captivis vestris, fortuna circumdederit. Dextra laevaque duo maria claudunt, nullam, ne ad effugium quidem, navem habentibus: circa Padus amnis, major ac violentior Rhodano; a tergo Alpes urgent, vix integris vobis ac vigentibus transitae. Hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis; et eadem fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne ab diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum ac Sardiniam, parentibus nostris ereptas, nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent. Quidquid Romani tot triumphis partum congestumque possident, id omne vestrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem, agite, cum diis bene juvantibus arma capite. Satis adhuc in vastis Lusitaniae Celtiberiaeque montibus, pecora consectando, nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis: tempus est jam, opulenta vos ac ditia stipendia facere, et magna operae pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminaque, et tot armatos gentes emensos. hic vobis terminum laborum fortuna dedit: hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec, quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaritis victoriam fore. Saepe et contemtus hostis cruentum certamen edidit, et inclyti populi regesque pe levi momento victi sunt. Nam, demto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est, cur illi vobis comparandi sint? Ut viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam; ab Herculis columnis, ab Oceano, terminisque ultimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniae e, Galliae populos vincentes huc pervenistis. Pugnabitis cum exercitu tirone, hac ipsa aestate caeso, victo, circumsesso a Gallis ignoto adhuc duci suo, ignorantique ducem. An me, in prae-

torio patris, clarissimi imperatoris, prope natum, certe eductum, domitorem Hispaniae Galliaeque, victorem eundem, non Alpinarum modo gentium, sed ipsarum, quod multo majus est, Alpium, cum semestri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? Cui si quis, demtis signis, Poenos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus sit consul. Non ego illud parvi aestimo, milites, quod nemo vestrum est, cujus non ante oculos ipse saepe militare aliquod ediderim facinus; cui non idem ego virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora. Cum laudatis a me milliesque donatis, alumnus prius omnium vestrum, quam imperator, procedam acie adversus ignotos inter se, ignorantesque XLIV. Quocunque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris: veteranum peditem, generosissimarum gentium equites frenatos et infrenatos: vos socios fidelissimos fortissimosque, vos Carthaginienses, tum ob patriam, tum ob iram justissimam, pugnaturos. inferimusque bellum, infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto major spes, major est animus inferentis vim, quam arcentis. Accendit praeterea animos et stimulat dolor, injuria, indignitas. Ad supplicium depoposcerunt me ducem primum; deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis: deditos ultimis cruciatibus adfecturi fuerunt. Crudelissima ac superbissima gens sua omnia suique arbitrii fecit. cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum imponere aequum censet: circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus: neque eos, quos statuis, terminos, observat. Ne transieris Iberum: ne quid rei tibi sit cum Saguntinis. Ad Iberum est Saguntum: nusquam de vestigio moveris. Parum est, quod veterrimas provincias meas Siciliam et Sardiniam adimis, etiam Hispanias? et indo cessero, in Africam transcendes. Transcendes autem, dico? duos consules hujus anni, unum in Africam, alterum in Hi-

spaniam miserunt. Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicarimus. Illis timidis et ignavis licet esse, qui respectum habent, quos suus ager, sua terra, per tuta ac patata itinera fugientes, accipient: vobis necesse est fortibus viris esse, et, omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in proelio potius, quam in fuga, mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est; iterum dicam, vicistis; nullum momentum ad vincendum homini a diis immortalibus acrius datum est.

II.

ORATIO

M. MINUCII RUFI,

magistri equitum, qua in Q. Fabii Maximi dictatoris cunctationem acriter invehitur.

Ex lib. XXII. cap. XIV.

ARGUMENTUM.

Q. Fabius Maximus dictator missus cum legionibus adversus Hannibalem, per loca alta agmen ducebat, modico ab hoste intervallo, ut nec omitteret eum, neque congrederetur. M. Minucius Rufus magister equitum erat, ferox rapidusque in consiliis, ac lingva immodicus: is primum inter paucos, deinde palam consilium prudentiamque dictatoris eludebat atque reprehendebat, pro cunctatore segnem eum, pro cauto timidum appellans. Forte per id tempus Maherbalem in agrum Falernum Hannibal praedatum miserat: quem quum in castra perlatum esset populari usque ad Sinuessas aquas, tum demum

Fabius per jugâ montis Massici exercitum ducens, haud procul hoste castra ponit. Hinc vero quum facile tecta colonorum Romanorum et domus ab hostibus incendi perurique viderentur, nec tum quidem ullae pugnae mentio esset: idem Rufus magister equitum in dictatorem haec jactare coepit.

Spectatumne huc, ut rem fruendam oculis, sociorum caedes et incendia venimus? nec si nullius alterius nos, ne civium quidem horum pudet, quos Sinuessam colonos patres nostri miserunt, ut ab Samnite hoste tuta haec ora esset: quam nunc non vicinus Samnis ullii, sed Poenus advena, ab extremis orbis terrarum terminis, nostra cunctatione et socordia, jam huc progressus. Tantum (pro!) degeneramus a parentibus nostris, ut, praeter quam oram illi Punicas vagari classes, dedecus esse imperii sui duxerint, eam nos nunc plenam hostium Numidarumque ac Maurorum jam factam videamus. Qui modo, Saguntum oppugnari indignando, non homines tantum, sed foedera et deos, ciebamus, scandentem ad moenia Romanae coloniae Hannibalem lenti spectamus? Fumus ex incendiis villarum agrorumque in oculos atque ora venit; strepunt aures clamoribus plorantium sociorum, saepius nos, quam deorum, invocantium opem. Nos hic pecorum modo per aestivos saltus deviasque calles exercitum ducimus; cenditi nubibus silvisque. Si hoc modo peragrando cacumina saltusque M. Furius recipere a Gallis urbem voluisset, quo hic novus Camillus, (nobis dictator unicus in rebus adfectis quaesitus) Italiam ab Hannibale recuperare parat, Gallorum Roma esset: quam vereor; ne, sic cunctantibus nobis, Hannibali ac Poenis toties servaverint majores nostri. Sed vir, ac vere Romanus, quo die dictatorem eum ex auctoritate patrum jussuque populi dictum, Vejos allatum est, quum esset satis altum Janiculum, ubi sedens prospectaret hostem, descendit in aequum; atque illo ipso die media in urbe, qua nunc busta Gallica sunt, et postero die citra Gabios, caecidit Gallorum legiones. Quid?

post multos annos, quum ad furculas Caudinas ab Samnite hoste sub jugum missi sumus, utrum tandem L. Papirius Cursor, juga Samnii perlustrando, an Luceriam premendo, obsidendoque, et lacessendo victorem hostem, depulsum ab Romanis cervicibus jugum superbo Samniti imposuit? Modo consuli Lutatio quae alia res, quam celeritas, victoriam dedit? quod postero die, quam hostem vidit, classem gravem commeatibus, impeditam suomet ipsam instrumento atque apparatu, oppressit. Stultitia est, sedendo aut votis debellari credere posse. Armari copias oportet, deducendas in aequum, ut vir cum viro congrediaris. Audendo atque agendo res Romana crevit, non his segnibus consiliis, quae timidi cauta vocant.

12.

ORATIO
FABII MAXIMI

ad Aemilium de Varrone, et ratione pugnandi cum hoste.

Ex lib. XXII. cap. XXXIX.

ARGUMENTUM.

C. Terentius Varro, et L. Paullus Aemilius consules creati, quum contra Hannibalem copias ducere pararent, Varro concionem forte habuerat, qua bellum in Italiam a nobilibus arcessitum esse jactabat, quod nunquam restingvendum esset, si respub. plures Fabios imperatores haberet: se vero ipsum illud profligaturum, seu ad finem prope deducturum, quo primum die hostem videret. Quod quum Fabius cognovisset, Paulum Aemilium ad se vocat, quem in hanc sententiam de

collegae temeritate rationeque hostem adgrediendi alloquutus est:

Si aut collegam, (id quod mallem,) tui similem, Luci Aemili, haberes, aut tu collegae tui similis esses, supervacanea esset oratio mea. Nam et duo boni consules, etiam me tacente, omnia e republ. fide vestra faceretis: et mali, nec mea verba animis vestris, nec consilia animis acciperetis. Nunc et collegam tuum, et te, talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio est: quem video nequidquam et virum bonum, et civem fore, si altera parte claudicet respubl. malis consiliis idem ac bonis juris et potestatis erit. Erras enim, L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quam cum Hannibale futurum censes. nescio, an infestior hic adversarius, quam ille hostis maneat: cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es: et adversum Hannibalem legionesque ejus tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est: Varro dux, tuis militibus te est oppugnaturus. Omnis etiam tibi caussa absit C. Flaminii memoria. tamen ille consul demum, et in provincia, et ad exercitum, coepit furere: hic, priusquam peteret consulatum, deinde in petendo consulatu: nunc quoque consul, prinsquam castra videat, aut hostem, insanit. Et, qui tantas jam nunc procellas, proelia atque acies jactando, inter togatos ciet, quid inter armatam juventutem censes facturum, et ubi extemplo verba res sequitur? Atqui si hic, quod facturum se denunciat, extemplo pugnaverit; aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Trasimeno locus nostris cladibus erit. Nec gloriandi tempus adversus unum est: ut ego, contemnendo potius, quam appetendo gloriam, modum excesserim. Sed ita res habet. una ratio belli gerendi adversus Hannibalem est, qua ego gessi. nec eventus modo hoc docet, (stultorum iste magister est) sed eadem ratio, quae fuit, futuraque, donec eaedem res manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro.

omnia circa plena civium ac sociorum sunt. armis, viris, equis, commeatibus juvant, juvabuntque. id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt. Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Hannibal contra in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque, procul ab domo, procul a patria. neque illi terra, neque mari est pax: nullae enim urbes accipiunt, nulla moenia: nihil usquam sui videt: in diem rapto vivit. partem vix tertiam exercitus ejus habet quem Iberum amnem trajecit. plures fames, quam ferrum, absumsit: nec hic paucis jam victum suppeditat. Dubitas ergo, quin sedendo superaturi simus eum, qui senescat in dies? non commeatus, non supplementum, non pecuniam habet? Quamdiu pro Geronii, castelli Apuliae inopis, tanquam pro Carthaginis moenibus? sed ne adversus te quidem ego gloriabor. Cn. Servilius atque Attilius, proximi consules, vide, quemadmodum eum ludificati sint. Haec una salutis est via L. Paulle, quam difficilem infestamque cives sibi magis, quam hostes, facient, idem enim tui, quod hostium milites, volent: idem Varro, consul Romanus, quod Hannibal, Poenus imperator, cupiet. Duobus ducibus unus resistas, oportet; resistes autem, adversus famam rumoresque hominum, si satis firmus steteris: si te neque collegae vana gloria, neque tua falsa infamia moverit. Veritatem laborare inimicitiis saepe, ajunt, extingvi nunquam. Gloriam qui spreverit, veram habebit. Sine, timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent, malo, te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. Omnia audentem contemnet Hannibal: nil temere agentem metuet. Nec ego, ut nihil agatur, moneo; sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna; tuae potestatis semper, tuaque omnia sint. Armatus intentusque sis, neque occasioni tuae desis, neque suam occasionem hosti des. Omnia non properanti clara certaque erunt. festinatio improvida est et caeca.

13.

ORATIO CAPTIVORUM

Cannensi clade Romanorum ad patres.

Ex lib. XXII. cap. LIX.

ARGUMENTUM.

Milites Romani, qui ex minoribus castris consilio eorum, qui erant in majoribus, exhortatione insuper P. Sempronii Tuditani, cum ipso erumpere noluerant, in potestatem hostium simul cum castris venerunt. Ex iis decem paullo post jurejurando adigit Hannibal, si missi Romam non redimerentur, ad hostem redituros. Ita Romam adactos eos mittit, ut aurum in redemptionem suam impetrarent. Propositum autem fuit, pretium in capita, equiti quingenti quadraginta nummi, pediti trecenti, servo centum. Profecti, ita caussam suam apud patres egerunt:

Patres conscripti, nemo nostrum ignorat, nulli unquam civitati viliores fuisse captivos, quam nostrae. ceterum, nisi nobis plus justo nostra placet caussa, non alii unquam minus negligendi vobis, quam nos, in hostium potestatem venerunt. Non enim in acie per timorem arma tradidimus; sed, quam prope ad noctem superstantes cumulis caesorum corporum proelium extraxissemus, in castra recepimus nos. diei reliquum ac noctem insequentem fessi labore ac vulneribus, vallum sumus tutati. Postero die, quum circumsessi ab exercitu victore, aqua arceremur, nec ulla jam per confertos hostes erumpendi spes esset, nec esse nefas duceremus, quinquaginta mil-

libus hominum ex acie nostra trucidatis, aliquem ex Cannensi pugna Romanum militem restare; tum demum pacti sumus pretium, quo redempti dimitteremur: arma, in quibus nihil jam auxilii erat, hosti tradidimus. Majores quoque acceperamus se a Gallis auro redemisse: et patres vestros, asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratia Tarentum misisse. Atqui, et ad Alliam cum Gallis, et ad Heracleam cum Pyrrho, utraque non tam clade infamis, quam pavore ac fuga, pugna fuit. Cannenses campos acervi Romanorum corporum tegunt: nec supersumus pugnae, nisi in quibus trucidandis et ferrum et vires hostem defecerunt. Sunt etiam de nostris quidam, qui ne in acie quidem refugerunt, sed, praesidio castris relicti, quum castra traderentur, in potestatem hostium venerunt. Haud equidem ullius civis aut commilitonis fortunae aut conditioni invideo, nec premendo alium, me extulisse velim: ne illi quidem, (nisi pernicitatis pedum et cursus aliquod praemium est), qui plerique inermes ex acie fugientes, non prius, quam Venusiae aut Canusii, constiterunt, se nobis merito praetulerint, gloriatique sint, in se plus, quam in nobis, praesidii reip. esse. Sed illis et bonis ac fortibus militibus utemini: et nobis etiam promptioribus pro patria, quod beneficio vestro redemti, atque in patriam restituti fuerimus. Delectum ex omni aetate et fortuna habetis: octo millia servorum armari audio: non minor numerus noster est, nec majori pretio redimi possumus, quam hi emuntur. Nam si conferam nos cum illis, injuriam nomini Romano faciam. Illud etiam in tali consilio animadvertendum vobis censeam, P. C. (si tamen duriores esse velitis, quod nullo nostro merito faciatis,) cui nos hosti relicturi sitis. Pyrro videlicet, qui nos hospitum numero habuit captivos, an barbaro ac Poeno, qui utrum avarior, an ulior, sit, vix existimari potest. Si videatis catenas, squalorem, deformitatemque civium vestrorum, non minus profecto vos

ea species moveat, quam si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras. Intueri potestis sollicitudinem et lacrymas in vestibulo curiae stantium cognatorum nostrorum, expectantiumque responsum vestrum. Quum ii pro nobis, proque iis, qui absunt, ita suspensi ac solliciti sint; quem censetis animum ipsorum esse, quorum in discrimine vita libertasque est? Si, medius fidius, ipse in nos mitis Hannibal contra naturam suam esse velit, nihil tamen nobis vita opus esse censeamus, quum indigni, ut a vobis redimeremur, visi sumus. Rediere Romam quondam remissi a Pyrrho sine pretio capti: sed rediere cum legatis, primoribus civitatis, ad rediniendos sese missis. Redeam ego in patriam, trecentis nummis non aestimatus civis? Suum quisque habet animum, P. C. scio in discrimine esse vitam corpusque meum. magis me fame periculum movet, ne a vobis damnati ac repulsi habeamur. Neque enim vos pretio pepercisse hominibus credent.

14.

ORATIO

SAMNITIUM LEGATORUM

ad Hannibalem, qua petunt, ut opem adversus Romanos ferat.

Ex lib. XXIII. cap. XLII.

ARGUMENTUM.

Marcellus Nolam urbem quum teneret praesidiis, in agrum Hirpinum et Samnitium Caudinorum excursiones faciendo: ferro et igni omnia vastabat. Iis cladibus uterque populus ad-

ductus, legatos ad Hannibalem conquestum injurias mittit. Priores Samnites ita injurias exposuerunt:

Hostes populi Romani, Hannibal, fuimus primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostrae vires nos tutari poterant. Postquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adjunximus: a quo relicti, pacem necessariam accepimus, fuimusque in ea per annos prope quinquaginta, ad id tempus, quo in Italiam venisti. Tua nos non magis virtus fortunaque, quam unica comitas ac benignitas erga cives nostros, quos captos nobis remisisti, ita conciliavit tibi, ut, te salvo atque incolumi amico, non modo populum Romanum, sed ne deos quidem iratos, (si dici fas est,) timeremus. At, hercule, non solum incolumi et victore, sed praesente te, quum ploratum prope conjugum ac liberorum nostrorum exaudire, et flagrantia tecta posses conspicere: ita sumus aliquoties hac aestate devastati, ut M. Marcellus, non Hannibal, vicisse ad Cannas videatur: glorieturque Romani, te, ad unum modo ictum vigentem, velut aculeo amisso, torpere. Per centum prope annos cum populo Romano bellum gessimus, nullo externo adjuti, nec duce nec exercitu: nisi quod per biennium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires, quam suis viribus nos defendit. Non ego secundis rebus nostris gloriabor; duos consules, ac duos consulares exercitus a nobis sub jugum missos, et si qua alia aut laeta, aut gloriosa, nobis evenerunt, quae aspera adversaque tunc acciderunt, minore indignatione referre possumus, quam quae hodie eveniunt. Magni dictatores cum magistris equitum, bini consules cum binis consularibus exercitibus intrabant fines nostros; ante explorato, et subsidiis positis, et sub signis ad populandum ducebant. nunc prope unius et parvi ad tuendam Nolam praesidii praeda sumus. Iam ne manipulatim quidem, sed latronum modo, percursant totis finibus nostris negligentius, quam si in Romano vagarentur agro. Caussa autem haec est, quod neque tu de-

fendis, et nostra juventus, quae, si domi esset, tutaretur, omnis sub signis militat tuis. Nec te, ne exercitum tuum norim, nisi a qua tot Romanas acies fusas stratasque esse sciam, ei facile esse ducam opprimere populatores nostros vagos, sine signis, palatos, quo quemque trahit, quamvis vana, praedae spes. Numidarum paucorum illi quidem praeda erunt, praesidiumque missum nobis et Nolae ademptum erit; si modo, quos, ut socios haberes, dignos duxisti, haud indignos judicas, quos in fidem receptos tuearis.

15.

ORATIO
P. SCIPIONIS

ad veteres milites.

Ex. lib. XXVI. cap. XLI.

ARGUMENTUM.

P. Scipio iis, cujus pater atque patruus in Hispania interfecti fuerant, omnium centuriarum tribuumve consensu ante quartum et vicesimum annum ad bellum Hispanicum imperator delectus erat. Iam vero ad id tempus vetus exercitus patris atque patrui in Hispania manserat: ad quem Tarracone primo vere veniens, quum Iberum trajecturus esset, ita ejus exercitus animos ad bellum praeparavit:

Nemo ante me novus imperator militibus suis prius, quam opera eorum usus esset, gratias agere jure ac merito potuit. Me vobis prius, quam provinciam aut castra viderem, obligavit fortuna: primum, quod ea pietate erga patrem patruumque meum vivos mortuosque fuistis: deinde, quod amis-

sam tanta clade provinciae possessionem, integram et populo Romano et successori mihi virtute vestra obtinuistis Sed quum jam benignitate deûm id paremus atque agamus, non ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Poeni maneant, nec, ut pro ripa Iberi stantes, arceamus transitu hostes, sed ut ultro transeamus, transferamusque bellum: vereor, ne cui vestrum majus id audaciusque consilium, quam aut pro memoria cladium nuper acceptarum, aut pro aetate mea, videatur. Adversae pugnae in Hispania nullius in animo, quam meo, minus obliterari possunt, quippe cui pater et patruus, intra triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumularetur familiae nostrae funus, interfecti sunt. Sed ut familiaris pene orbitas ac solitudo frangit animum; ita publica quum fortuna, tum virtus, desperare de summa rerum prohibet. Ea fato quodam data nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto, Porsennam, Gallos, Samnites: a Punicis bellis incipiam. Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? Iam quid hoc de bello memorem? omnibus aut ipse adfui cladibus: aut quibus afui, maximi unus omnium eas sensi. Trebia, Trasimenus, Cannae, quid aliud sunt, quam monumenta occisorum exercituum, consulumque Romanorum? Adde defectionem Italiae, Siciliae majoris partis, Sardiniae. Adde ultimum terrorem ac pavorem, castra Punica inter Anienem et moenia Romana posita, et visum prope in portis victorem Hannibalem. In hac ruina rerum stetit una integra atque immobilis virtus populi Romani. Haec omnia, strata humi, erexit ac sustulit. Vos omnium primi, milites, post Cannensem cladem vadenti Hasdrubali ad Alpes Italiamque, qui si se cum fratre conjunxisset, nullum jam nomen esset populi Romani, ducta auspicioque patris mei obstitistis. et hae secundae res illas adversas sustinuerunt. Nunc, benignitate deûm, omnia secunda, prospera, in dies laetiora ac meliora in Italiâ Siciliaque geruntur. In Sicilia Syracusae, Agrigen-

tumque captum, pulsi tota insula hostes, receptaque provincia in ditione populi Romani est. In Italia Arpi recepti, Capua capta. Iter omne ab urbe Roma trepida fuga emensus Hannibal, in extremum angulum agri Bruttii compulsus, nihil jam majus precatur deos, quam ut incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat. Quid igitur minus conveniat, milites, quam, quum aliae super alias clades cumularentur, ac dii prope ipsi cum Hannibale starent, vos hic cum parentibus meis, (aequentur enim etiam honore nominis,) sustinuisse labantem fortunam populi Romani: nunc eosdem, quia illic omnia secunda laetaque sunt, animis deficere? Nuper quoque quae acciderunt, utinam tam sine meo luctu, quam vestro, transissent! Nunc dii immortales imperii Romani praesides, qui centuriis omnibus, ut mihi imperium juberent dari, fuere auctores; iidem auguriis auspiciisque, et per nocturnos etiam visus omnia laeta ac prospera portendunt. Animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, praesagit, nostram Hispaniam esse: brevi exterre hinc omne Punicum nomen, maria terrasque foeda fuga impleturum. Quod mens sua sponte divinat, idem subiicit ratio haud fallax. Vexati ab iis socii, nostram fidem per legatos implorant tres duces discrepantes, prope ut defecerint alii ab aliis, trifariam exercitum in diversissimas regiones distraxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quae nuper nos adflixit. nam et deseruntur ab sociis, ut prius ab Celtiberis nos: et diduxerunt exercitus, quae patri patruoque meo caussa exitii fuit. Nec discordia intestina coire eos in unum sinet, neque singuli nobis resistere poterunt. Vos modo, milites, favete nomini Scipionum, soboli imperatorum vestrorum, velut accisis recrescenti stirpibus. Agite, milites veteres, novum exercitum, novumque ducem traducite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis saepe a vobis peragratas. Brevi faciam, ut, quemadmodum noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultusque, et lineamenta

corporis; ita ingenii, fidei virtutisque exemplum expressam ad effigiem vobis reddam, ut revixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat.

16.

ORATIO

P. SCIPIONIS

Ad milites.

Ex lib. XXVIII. cap. XXVII.

ARGUMENTUM.

Sucrone ad praesidium octo millia militum relicta erant: ii nimia primum licentia ex diutino otio collecta, deinde audita morte, (incertis auctoribus.) Scipionis imperatoris, seditionem movent. Ac primum tribunos, quum viderent non modo in sententiam suam non descendere velle, sed iis, quae conabantur, obviam ire, ex castris fugant. Tum ad principes seditionis gregarios milites C. Albium Calenum, et C. Atrium Umbrum, communi consensu, imperii summam deferunt: qui tribunitiis ornamentis non contenti, summi etiam magistratus insignia, ut fasces, ut secures, adsumunt. Non ita multo post nuncii certi, et vivere Scipionem, et valere, adferunt, quae res ita omnium animos discruciabat, ut jam imperatores ipsi sua insignia exhorrerent: vulgus tantum jactaret id factum esse, quod non ad diem ipsum stipendia data et impensa essent. Carthaginem deinde interjectis aliquot diebus seditiosi omnes ingressi, postero die vocati ad concionem a Scipione, hac oratione reprehensi sunt; duces et auctores capitali supplicio damnati.

Nunquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer, credidi. non quo verba unquam potius, quam res, exercuerim, sed quia prope a pueritia in castris habitus, adsveveram militaribus ingeniis. Ad vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne, quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui a patria vestra descistis: an milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis. Hostes? corpora, ora vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod Ilergetes et Lacetani, aut optastis aliud, aut sperastis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiae nobilitatis viros, duces furoris secuti sunt: vos auspicium et imperium ad Umbrum Atrium et Calenum Albium detulistis. Negate, vos id omnes fecisse, aut factum voluisse, milites: paucorum eum furorem atque amentiam esse, libenter credam negantibus. nec enim ea sunt commissa, quae vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possint. Invitus ea, tanquam vulnera, attingo. Sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. Equidem, pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullum locum tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea. sic me non solum adversus socios gesseram, sed etiam adversus hostes. In castris en meis, (quantum me opinio fefellit?) fama mortis meae non aceepta solum, sed etiam exspectata est. Non, quod ego vulgari facinus per omnes velim, (equidem, si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer: nec me vita juvaret, invisa civibus et militibus meis,) sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est, venti et aurae cient; ita, aut tranquillum, aut procellae in vobis sunt: et caussa atque origo omnis furoris penes auctores est: vos contagione insanistis. Qui mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiae progressi sitis; quid facinoris in me, quid in patriam, parentes,

que ac liberos vestros, quid in deos, sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militatis, quid adversus morem militiae disciplinamque majorum, quid adversus summi imperii majestatem ausi sitis. De me ipso taceo. temere potius, quam avide, credideritis, denique ego sim, cujus imperii taedere exercitum minime mirandum sit. Patria quid de vobis meruerat, quam, cum Mandonio et Indibili consociando consilia, prodebatis? Quid populus Romanus, cum imperium, ablatum a tribunis, suffragio populi creastis, ad homines privatos detulistis? quum, eo ipso non contenti, si pro tribunis illos haberetis, fasces imperatoris vestri ad eos, quibus servus, cui imperarent, nunquam fuerat, Romanus exercitus detulistis. In praetorio tetenderunt Albius et Atrius: classicum apud eos cecinit: signum ab iis petitum est: sederunt in tribunali P. Scipionis: lictor apparuit; submoto incesserunt: fasces cum securibus praclati sunt. Lapides pluere, et fulmina jaci de caelo, et insvetos foetus animalia edere, vos portenta esse putatis: hoc est portentum, quod nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine sangvine eorum, qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit. Caput XXVIII. Atque ego, (quamquam nullum scelus rationem habet,) tamen, ut in re nefaria, quae mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegium quondam in praesidium missa legio, interfectis per scelus principibus civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit. propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romae securi percussi sunt. Sed illi primum, non Atrium Umbrum semilixam, nominis etiam abominandi ducem, sed Decium Jubellium tribunum militum secuti sunt: nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis, hostibus populi Romani, se conjunxerunt. vos cum Mandonio et Indibili consilia communicastis, et arma consociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam, Tuscis, veteribus cultoribus, ademtam, Mamertini in Sicilia Messanam, sic Rhegium habituri perpetuam se-

dem erant: nec populum Romanum, nec socios populi Romani ultro lacessituri bello. Sucronem ne vos domicilium habituri eratis? ubi, si vos decedens, confecta provincia, imperator relinquerem, Deûm hominumque fidem, implorare debebatis, quod non redirctis ad conjuges liberosque vestros. Sed horum quoque memoriam, sicut patriae meique, ejeceritis ex animis vestris. Viam consilii scelerati, sed non ad ultimum dementis, exsequi volo. Me ne vivo, et cetero incolumi exercitu, cum quo ego die uno Carthaginem cepi, cum quo quatuor imperatores, quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fugavi, Hispania expuli, vos octo millia hominum, minoris certe omnes pretii, quam Albius et Atrius sunt, quibus vos subjecistis, Hispaniam provinciam populo Romano erepturi eratis? Amolior et amoveo nomen meum. nihil ultra facile creditam mortem meam a vobis violatus sim. Quid? si ego morerer, mecum exspiratura respublica, mecum casurum imperium populi Romani erat? ne istuc Jupiter optimus maximus sirit, urbem, auspicato diis auctoribus in aeternum conditam, fragili hûic et mortali corpori aequalem esse. Flaminio, Paullo, Graccho, Postumio, Albino, M. Marcello, T. Quintio Crispino, Cn. Fulvio, Scipionibus meis, tot tam praeclaris imperatoribus uno bello absumtis, superstes est populus Romanus, eritque, mille aliis nunc ferro, nunc morbo morientibus, meo unius funere elata populi Romani esset respublica? Vos ipsi hic in Hispania, patre et patruo meo, duobus imperatoribus, interfectis, Septimum Marcium ducem vobis adversus exsultantes recenti victoria Poenos delegistis. et sic loquor, tanquam sine duce Hispaniae futurae fuerint. M. Sivanus eodem jure, eodem imperio meorum in provinciam missus, L. Scipio frater meus, et C. Laelius, legati, vindices majestatis imperii deessent? Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an caussa comparari poterat? quibus si omnibus superiores essetis, arma cum Poenis contra patriam, contra ci-

ves vestros ferretis? Africam Italiae, Carthaginem urbi Romae imperare velletis? Quam ob noxam patriae? *Caput XXIX.* Coriolanum quondam damnatio injusta miserum et indignum exsilium, ut iret ad oppugnandam patriam, impulit: revocavit tamen a publico parricidio privata pietas. Vos qui dolor, quae ira incitavit? Stipendiumne diebus paucis imperatore aegro serius numeratum, satis digna caussa fuit, cur patriae indiceretis bellum? cur ad Ilergetes desciscerctis a populo Romano? cur nihil divinarum humanarumve rerum inviolatum vobis esset? Insanistis profecto, milites: nec major in corpus meum vis morbi, quam in vestras mentes, invasit. Horret animus referre, quid crediderint homines, quid speraverint, quid optaverint. Auferat omnia irrita oblivio, si potest: si non, utcunque silentium tegat. Non negaverim, tristem atrocemque vobis visam orationem meam; quando creditis facta vestra atrociora esse, quam dicta mea? et me ea, quae fecistis, pati aequum censetis: vos ne dici quidem omnia aequo animo ferretis? Sed ne ea quidem ipsa ultra exprobrabuntur. utinam tam facile vos obliviscamini eorum, quam ego obliviscar. Itaque, quod ad vos universos attinet, si erroris poenitet, satis superque poenarum habeo. Albius Calenus, et Atrius Umber, et ceteri nefariae seditionis auctores, sangvine luent, quod admiserunt. Vobis supplicii eorum spectaculum non modo non acerbum, sed laetum etiam, si sana mens rediit, debet esse. de nullis enim, quam de vobis, infestius aut inimicius consuluerunt.

17.

ORATIO
P. SCIPIONIS AD DEOS.

Ex lib. XXIX. cap. XXVII.

ARGUMENTUM.

Scipio praeter quadraginta naves longas, quadringentis onerariis, in Africam trajecturus, ubi illuxit, silentio per praeconem facto, e praetoria navi hanc orationem ad deos habuit:

Divi divaeque, qui maria terras colitis, vos precor quaesoque, uti, quae in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanae, sociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium, auspiciumque terra, mari, amnibusque sequuntur, bene vertant, eaque vos omnia bene juvetis, bonis auctibus auxitis, salvos incolumesque, victis perduellibus, victores, spoliis decoratos, praeda onustos, triumphantesque mecum domos reduces sistatis: inimicorum hostiumque ulciscendorum copiam faxitis: quaeque populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere molitus est, ea ut mihi populoque Rom. in civitatem Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis.

18.

ORATIO

HANNIBALIS

ad P. Scipionem de pace.

Ex lib. XXX. cap. XXX.

ARGUMENTUM.

Digressus ex Italia Hannibal, quum Africam repetens, Zamam, quae quinque tantum dierum iter Carthagine abest, pervenisset, praemisit exploratores, qui cognoscerent, quonam in statu res illic Romanorum essent. Speculatores a custodibus in castra deducti, omisso metu, visere omnia et contemplari jussi. Regressi quum laeta omnia, non secus, quam in certa victoria, nuntiarent; tum demum de pace Hannibal cogitare coepit: ac per suos Scipioni accito ad colloquium, conditiones pacis ferendas esse ita suasit:

Si hoc ita fato datum erat, ut, qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem; laetor te mihi sorte potissimum datum, a quo peterem. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Hannibalem, cui tot de Romanis ducibus victoriam dii dedissent, tibi cessisse: teque huic bello, vestris prius, quam nostris cladibus insigni, finem imposuisse. Hoc quoque ludibrium casus ediderit fortuna, ut, cum patre tuo consule coperim arma, cum eodem primum Romano imperatore signa contulerim: ad filium ejus inermis ad pacem petendam veniam. Optimum quidem fuerat, eam patribus nostris mentem datam ab diis esse, ut

et vos Italiae, et nos Africae imperio contenti essemus: neque enim ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot tam egregiis amissis ducibus. Sed, praeterita magis reprehendi possunt, quam corrigi. Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus, nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset: sed et vos in portis vestris prope ac moenibus signa armaque hostium vidistis; et nos a Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus. Quod igitur nos maxime abominaremur; vos ante omnia optaretis; in meliore vestra fortuna de pace agitur; agimus ii, quorum et maxime interest pacem esse, et qui quodcunque egerimus, ratum civitates nostrae habiturae sint. animo tantum nobis opus est non abhorrente a quietis consiliis. Quod ad me attinet, jam aetas, senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum. jam secundae, jam adversae res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quam fortunam, malim. Tuam et adolescentiam et perpetuam felicitatem, ferociora utraque, quam quietis opus est consiliis, metuo. Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenum, ad Cannas, id tu hodie es. vixdum militari aetate imperio accepto, omnia audacissime incipientem nusquam fefellit fortuna. Patris et patrui persecutus mortem, a calamitate vestrae domus decus insigne virtutis pietatisque eximiae cepisti: amissas Hispanias reciperasti, quatuor inde Punicis exercitibus pulsis: consul creatus, quum ceteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus caesis, binis eadem hora captis simul incensisque castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus regni ejus, tot nostri imperii ereptis, me sextumdecimum jam annum gaerentem in possessione Italiae detraxisti. Potest victoriam malle, quam pacem, animus. Novi vobis spiritus magnos magis, quam utile, et mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus,

bonam quoque mentem darent dii; non ea solum, quae evenissent, sed etiam ea, quae evenire possent, reputaremus. Ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modo, castris inter Anienem atque urbem vestram positis, ac jam prope scandentem moenia Romae videras; hic cernis, duobus fortissimis viris fratribus, clarissimis imperatoribus, orbatum, ante moenia prope obsessae patriae, quibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem. Maximae cuique fortunae minime credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax; nobis petentibus magis necessaria, quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. haec in tua, illa in deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in unius horae dederis discrimen. Cum tuas vires, tum vim fortunae, Martemque belli communem, propone animo. Utrimque ferrum, corpora humana erunt. nusquam minus, quam in bello, eventus respondent. Non tantum ad id, quod data pace jam habere potes, si proelio vincas, gloriae adjeceris; quantum ademeris, si quid adversi eveniat. Simul parta ac sperata decora unius horae fortuna evertere potest. Omnia in pace jungenda tuae potestatis sunt, P. Corneli: tunc ea habenda fortuna erit, quam dii dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non statuendo tandem felicitati modum nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo foedius corruit. Est quidem ejus, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis; sed forsitan non indigni simus, qui nobismet ipsi mulctam irrogemus. Non recusamus, quin omnia, propter quae bellum initum est, vestra sint, Sicilia, Sardinia, Hispania, quidquid insularum toto inter Africam Italiamque continetur mari. Carthaginienses, inclusi Africae littoribus, vos, (quando ita diis placuit,) externa etiam terra marique videamus re-

gentes imperia. Haud negaverim, propter non nimis sincere petitam aut expectatam nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem. Multum, per quos petita sit, ad fidem faciendae pacis, pertinet, Scipio. Vestri quoque, (ut audio.) patres non nihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem. Hannibal peto pacem: qui neque peterem, nisi utilem crederem: et propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam petii. Et, quemadmodum, quia a me bellum coeptum est, ne quem ejus poeniteret, quoad ipsi invidere dei, praestiti; ita adnitar, ne quem pacis per me partae paeniteat.

19.

ORATIO

SCIPIONIS

ad Hannibalem.

Ex lib. XXX. cap. XXXI.

Non me fallebat, Hannibal, adventus tui spe Carthaginienses et praesentem induciarum fidem, et spem pacis turbasse. neque tu id sane dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, praeter ea, quae jam pridem in nostra potestate sunt. Ceterum, sicut tibi curae est, sentire cives tuos, quanto per te onere leventur: sic mihi laborandum est, ne, quae tunc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis, praemia perfidiae habeant. Indigni, quibus eadem pateat conditio, ut etiam prosit vobis fraus, petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum. et tunc Mamertinorum sociorum periculum, et nunc Saguntí excidium nobis pia ac justa induc-

runt arma. Vos lacessisse, et tu ipse fateris, et dii testes sunt: qui et illius belli exitum, secundum jus fasque dederunt, et hujus dant et dabunt. Quod ad me attinet, et humanae infirmitatis memini, et vim fortunae reputo, et omnia, quaecunque agimus, subjecta esse mille casibus scio. Ceterum, quemadmodum superbe et violenter me feterer facere, si priusquam in Africam trajecissem, te tua voluntate cedentem Italia, et, imposito in naves exercitu, ipsum venientem ad pacem petendam adspernarer; sic nunc, quum prope manu conserta restitantem ac tergiversantem in Africam attraxerim, nulla sum tibi verecundia obstrictus. Proinde, si quid ad ea, in quae tum pax conventura videbatur, (quae sint, nosti,) multatae navium cum commeatu per inducias expugnatarum legatorumque violatorum adjicitur, est, quod referam ad consilium. Sin illa quoque gravia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis.

20.

ORATIO

HANNIBALIS

ad Antiochum, qua se purgat.

Ex lib. XXXV. cap. XIX.

ARGUMENTUM.

Pertinet hoc ad conciones superiores. Iis invicem jactis, legati earum ipsarum civitatum, de quibus Sulpicius meminerat, quum introducti nunc suas quisque querelas, nunc expostulationes intersererent, re infecta dimissi sunt. Exinde consilium inibat Antiochus belli adversus Romanos suscipien-

di. In id consilium forte Hannibal adhibitus non erat, propter colloquia cum Villio, legato altero Romanorum, suspectus. Percontatus itaque alienationis et iracundiae regis in se causam, quum ex colloquiis id natum acciperet, occasionem se regi purgandi quaerebat. Ac eam tandem nactus, ita se regi purgavit:

Pater Hamilcar, Antioche, parvum admodum me, quum sacrificaret, altaribus admotum, jurejurando adegit, nunquam amicum fore populi Romani. Sub hoc sacramento sex et triginta annos militavi: hoc me in pace patria mea expulit hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit: hoc duce, si tu spem meam destitueris, ubicunque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam, toto orbe terrarum quaerens aliquos Romanis hostes. Itaque, si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi, quam ex me, quaerant. Odi odioque sum Romanis. Id me verum dicere, pater Hamilcar et dii testes sunt. Proinde, quum de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Hannibalem habeto; si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum quo deliberes, quaerito.

21.

ORATIO
PHILIPPI MACEDONIS

de sua liberorumque infelici conditione.

Ex lib. XL. cap. VIII.

ARGUMENTUM.

Philippo regi Macedonum filii erant duo, Perseus et Demetrius, minor Demetrius multitudinis favorem emeruerat,

gratus jam ab initio Romanis, legationum, quas pro patre imprige exquntus erat, nomine, aliisque praeclaris rebus, quae in eo praelucebant. Hoc ipsum Perseus aegre ferebat, quod eo pacto imperii summam, mortuo patre, ad eum deferendam esse facile appareret. Itaque sibi adsciscit Macedonum magnum numerum, qui senem patrem regem, suapte natura in Romanos odio atque ira concitatum, ad bellum incitarent. Nacti ejus rei occasionem alii alia in Romanos jacebant, etiam praesente Demetrio. Impatiens irarum juvenis, amoris videlicet sui erga Romanos velut igniculis agitatus, quaecunque in Romanos dicebant, extemplo dictis refellebat, ita patri se suspectum faciens. Inde in concilium adhibebatur, quoties de Romanis erat consultandum. Ex eo vero colloquio Perseus viam sibi ad augendam eam suspicionem factam esse ratus, nunquam non ejus consilii sui perficiendi opportunitatem quaerebat. Forte Bastarnae quidam regii sanguinis ejus gentis, in Macedoniam venientes, sororem suam alteri liberorum Philippi se velle dare in matrimonium dixerant: quo nuntio Philippo supra modum laetanti; Quid haec, inquit Perseus, profutura sunt nobis, quum fraude domestica plus immineat periculi, quam praesidii ab externis auxiliis? Praeterea post conditum lustrum, quum pro more juvenes regii suis quisque copiis stipati concurrerent, ita tamen, ut Persei praesertim furore nihil ad justam proelii speciem, praeter ferrum, deesset, eo certamine tandem longe superior Demetrii acies apparuit. Quod indigne passus Perseus, quum ad convivium a fratre vocaretur, se adfuturum acerrime negat. Festo deinde die, jactatis de ludicro utrimque sermonibus, speculator ex convivio Persei ad audiendum, quae jactarentur, forte Persei jussu, egreditur: qui a juvenibus, ex triclinio itidem Demetrii egressis, vulneratus abscessit. Ejus rei ignarus Demetrius, mox, quin commissatum, inquit, ad fratrem imus, et iram, si qua forte ex certamine residet, nostra hilaritate lenimus? Con-

clamarunt omnes, qui aderant, praeter eos, qui ausi erant facinus, eundem esse. Ita, quum soli abnuerent, a Demetrio ire coguntur: ac facti sui non oblitj, gladios sub veste occultant, quibus se, si qua vis forte oriretur, defenderent. Speculatores in vestibulo aedium Persei stabant, qui extemplo ingressi ad Perseum, nunciant, Demetrium venire inter multos gladiis cinctos. Hoc nuntio permotus Perseus velut in re trepida, claudi quam primum januam jubet. Ita, nequiequam pulsatis foribus, domum suam, totius ejus rei ignarus Demetrius, ad convivium redit. Postero die, quum primum licuit, in regiam ad patrem Perseus ire pergit: quem, cum solito tristiorem Philippus animadverteret, quid ea moestitia portenderet, rogat. Perseus ordine rem totam exponit. Tum pater, et Demetrium vocari, et amicos aliquot jubet. Quibus miseram suam et liberorum conditionem ita, ut sequitur, indicavit. Post patrem, Perseus pejor, Demetrium parricidii accusat: secuta est deinde rei defensio.

Sedeo, miserrimus pater, judex inter duos filios, accusatorem parricidii, et reum; aut confecti, aut admissi, criminis labem apud meos inventurus. Iam pridem quidem hanc procellam imminentem timebam, quum vultus inter vos minime fraternos cernerem, quum voces quasdam exaudirem. sed interdum spes animum subibat, dellagrare iras vestras, purgari auspiciones posse, etiam hostes, armis positis, foedus icisse, et privatas multorum simultates finitas: subituram vobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam simplicitatis consuetudinisque inter vos, meorum denique praeceptorum: quae, vereor, ne vana surdis auribus cecinerim. Quoties ego, audientibus vobis, detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos eventus eorum retuli, quibus se stirpemque suam, domos, regna, funditus evertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui; sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum reges, salutarem per multa secula ipsis patriae-

que. Eandem civitatem, posteaquam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit, eversam. Iam hos Eumenem Attalumque fratres, a quam exiguis rebus, prope ut puderet regii nominis, mihi, Antiocho, et cuilibet regum hujus aetatis, nulla re magis, quam fraterna unanimitate, regnum aequasse. Ne Romanis quidem exemplis abstinui, quae aut visa, aut audita habebam: T. et L. Quintiorum, qui bellum mecum gesserunt; P. et L. Scipionum, qui Antiochum devicerunt: patris patruique eorum, quorum perpetuam vitae concordiam mors quoque miscuit. Neque vos illorum scelus, similisque sceleri eventus, deterrere a vecordi discordia potuit: neque horum bona mens, bona fortuna, ad sanitatem flectere. Vivo et spirante me, hereditatem meam ambo et spe et cupiditate improba crevistis. Eo usque me vivere vultis, donec, alterius vestrûm superstes, haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem, nec patrem potestis pati. nihil cari, nihil sancti est: in omnium vicem regni unius insatiabilis amor successit. Agite, conscelerate aures paternas: decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palam, quidquid aut veri potestis, aut comminisci libet. Reseratae aures sunt, quae post hac, secretis alterius ab altero criminibus, claudentur.

22.

ORATIO
L. AEMILII PAVLI CONSULIS
ad populum.

Ex lib. XLIV. cap. XXII.

ARGUMENTUM.

Creati erant consules, L. Aemilius Paulus, et C. Licinius Crassus, quorum Paulo Macedonia obvenerat. Extemplo in

provinciam eum profecturum credebant, decretis omnibus, quae ei bello Macedonico usui essent: apparebatque omnibus, non segniter eum id bellum gesturum, quod crederetur jam multo ante agitare solere, quae ad ipsum bellum pertinerent, quum petit, ut legati praemitterentur, qui rerum omnium illic statum cognoscerent. Ac perpaucis inde diebus, quum in senatu exspectatione patres essent, quidnam ille de provincia referret, quum nihil se habere dixisset, quod legati nondum rediissent, sed extemplo nihil in mora, quin proficiscerentur, ubi rediissent, interim civitatum legationes audiri posse: ille confestim in curia in concionem progressus, ita ad populum de suo imperio verba fecit:

Animadvertisse videor, Quirites, majorem mihi, sortito Macedoniam provinciam, gratulationem factam, quam quum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum iniissem: neque id ob aliam caussam, quam quia bello in Macedonia, quod diu trahitur, existimastis dignum majestate populi Rom. exitum per me imponi posse. Deos quoque huic favisse sorti spero, eosdemque in rebus gerendis adfuturos esse. Haec partim opinari, partim sperare possum. Illud adfirmare pro certo habeo, audeoque, me omni ope adnisurum esse, ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quae ad bellum opus sunt, et senatus decrevit, et (quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum,) C. Licinius collega, vir egregius, aeque enixe parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, quae scripsero senatui, aut vobis, credite. rumores credulitate vestra ne alatis, quorum autor nemo extabit. Nam nunc quidem, (quod vulgo fieri, hoc praecipue bello, animadverti,) nemo tam famae contemtor est, cujus non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque etiam, (si diis placet,) in conviviis sunt, qui exercitus in Macedoniam ducant: ubi castra locanda sint, sciant: quae loca praesidiis occupanda; quando, aut quo saltu intranda Macedonia;

ubi horrea ponenda; qua terra, marique subvehantur commeatus; quando cum hoste manus conserendae, quando quiescendum sit? nec, quid melius faciendum sit. modo statuunt, sed, quidquid aliter, quam ipsi censere, factum est, consulem veluti dicta die accusant. Haec magna impedimenta res gerentibus sunt. Neque enim omnes tam firmi et constantis animi contra adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit, qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam secunda fama male rem gerere. Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse: imo cum, qui de sua unius sententia omnia gerat, superbum judico magis, quam sapientem. Quid ergo est? Primum a prudentibus, et proprie rei militaris peritis, et usu doctis, monendi imperatores sunt: deinde ab his, qui intersunt gerendis loco, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut navigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui, quod e repub. sit, svadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat, ne deneget operam reipub. et in Macedoniam mecum veniat. nave, equo, tabernaculo, viatico etiam a me juvabitur. Si quem id facere piget, et otium urbanum militiae laboribus praeoptat, e terra ne gubernaverit. Sermonum satis ipsa praebet urbs: loquacitatem suam contineat: nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat.

23.

ORATIO

L. AEMILII PAULLI CONSULIS

ad milites.

Ex. lib. XLIV. cap. XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Gestis aliquot praeliis continuos dies, quum magno labore Macedonas Romani persequerentur, Perseus insequenti die suos in aciem educit consilio congrediendi cum Romanis. Iam tum ad meridiem hora diei vergebat, tempus anni post circumactum solstitium erat; iter multo pulvere oppletum, sol incalescebat, lassitudo et sitis jam sentiebantur. In tanta rerum omnium iniquitate, tamen Romani alacres nihil malebant, quam cum hoste integro et recenti congredi. Itaque per simulationem Aemilius consul circumeundo singulos ordines adhortari non desistebat ad certamen militum animos. At quum increscente solis aestu, simul sensim vultus vigor, vocumque contentio imminui, quidam incumbentes scutis, nixique pilis stare viderentur: tum imperat Paullus, ut frontem castrorum metarentur. Quare laeti milites facti sunt. Tum legati multi atque duces erant, qui pugnaturum consulem credebant. Silentibus itaque aliis, unus P. Nasica extitit, qui ausus est monere consulem, ne vincendi oblatam occasionem omitteret, cui respondit, se didicisse multis belli casibus, quando pugnandum, quando abstinendum pugna esset: aliaque multa, quibus auditis conticuit adolescens. Postero die, advocata concione, ita rationem pugnae dilatae suis reddidit:

P. Nasica, egregius adolescens, ex omnibus unus, quibus hesterno die pugnari placuit, denudavit mihi suum consilium: idem postea, ita, ut transisse in sententiam meam videri posset, tacuit. Quibusdam aliis absentem carpere imperatorem, quam praesentem monere, melius visum est: et tibi, P. Nasica, et quicunque idem, quod tu, occultus senserunt, non gravabor reddere dilatae pugnae rationem. Nam tantum abest, ut me hesternae quietis poeniteat, ut servatum a me exercitum eo consilio credam. In qua me opinione esse, ne quis sine caussa vestrûm credat, recognoscat, agedum, mecum, (si videtur,) quam multa pro hoste, et adversus nos fuerint. Iam omnium primum, quantum numero nos praestent, neminem vestrûm nec ante ignorasse, et hesterno die implicatam intuentes aciem, animadvertisse, certum habeo. Ex hac nostra paucitate quarta pars militum praesidio impedimentis relicta erat: nec ignavissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum scitis. Sed fuerimus omnes: parvum hoc tandem esse credimus, quod ex his castris, in quibus hac nocte mansimus, exituri in aciem hodierno, aut summum, crastino die, si ita videbitur, diis bene juvantibus, sumus: Nihil ne interest, utrum militem, quem neque viae labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum; integrum in tentorio suo arma capere jubeas, atque in aciem plenum virium, vigentem, et corpore, et animo, educas? an longo itinere fatigatum, et onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti obijcias recenti, quieto, qui nulla re ante consumtas vires ad proelium afferat? Quis, pro deûm fidem! ita comparatus, vel iners atque imbellis, fortissimum virum non vicerit? Quid? quod hostes per summum otium instruxerant aciem, reparaverant animos, stabant compositi suis quisque ordinibus? nobis tunc repente trepidandum, in acie instituenda erat, et incompositis concurrendum? (Cap. XXXIX.) At, hercule, aciem quidem incon-

ditam inordinatamque habuissemus; castra munita, provisam aquationem, totum ad eam iter praesidiis impositis, explorata circa omnia; an nihil nostri habentes praeter nudum campum, in quo pugnaremus? Majores vestri castra munita portum ad omnes casus exercitus ducebant esse: unde ad pugnam exirent, quo jactati tempestate pugnae receptum haberent. Ideo, quum munimentis ea sepsissent, praesidio quoque valido firmabant; quod, qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quam multi exercitus, quibus minus prospera pugnae fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento post, eruptione facta, victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris haec sedes, vallumque pro moenibus, et tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus? His difficultatibus et impedimentis pugnae illud opponitur: quid si hostis hac interposita nocte abiisset, quantum rursus sequendo cum penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem, nec mansurum eum, neque in aciem copias educturum fuisse, certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim facilius abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc, quum in cervicibus sumus? nec falleret nos, nec interdiu, nec nocte abeundo. Quid autem est nobis optatius, quam, ut quorum castra praealta flummis ripa tuta, vallo insuper septa, ac crebris turribus, oppugnare adorti sumus, eos, relictis munimentis, agmine effuso abeuntes, in patentibus campis a tergo adoriamur? Hae dilatae pugnae ex hesterno die in hodiernum caussae fuerunt. Pugnare enim et ipsi mihi placet: et ideo, quia per Enipeum amnem septa ad hostem via erat, alio saltu, dejectis hostium praesidiis, novum iter aperui: neque prius, quam debellavero, absistam.

24.

ORATIO
HANNIBALIS AD MILITES.

Ex lib. XXI. cap. XXX.

ARGUMENTUM.

Postquam Hannibal, impressionem in Italiam facturus, copias suas Rhodanum, maximo cum labore trajecisset, praeterea, primo statim, (quod inter Hannibalis, et P. Scipionis equites fuit editum,) proelio Romani victores evasissent, multitudo Punica trepidare, hostem timere, et in primis oppositas Alpes, inexpertis horrendas, metuere coepit. Advocata igitur concione, varie militum animos versavit, castigavit, et adhortatus est Hannibal.

Mirari se, quinam pectora semper impavida repens terror invaserit. per tot annos vincentes eos stipendia facere, neque ante Hispania excessisse, quam omnes gentesque, et terrae eae, quas duo diversa maria amplectantur, Carthaginiensium essent. Indignatos deinde, quod, quicunque Saguntum obsedissent, velut ob noxam sibi dedi postularet populus Romanus, Iberum trajecisse ad delendum nomen Romanorum, liberandumque orbem terrarum. Tum nemini visum id longum, quum ab occasu solis ad ortum intenderent iter. Nunc, postquam multo majorem partem itineris emensam cernant, Pyrenaeum saltum inter ferocissimas gentes superatum, Rhodanum, tantum amnem, tot millibus Gallorum prohibentibus, domita etiam ipsius fluminis vi, trajectum, in conspectu, Alpes habeant, quarum alterum latus Italiae sit; in ipsis portis

hostium fatigatos subsistere: quid Alpes aliud esse credentes, quam montium altitudines? Fingerent altiores Pyrenaei jugis. nullas profecto terras coelum contingere nec inexsuperabiles humano generi esse Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes. pervias paucis esse, exercitibus invias? eos ipsos, quos cernant, legatos non pennis sublime elatos Alpes transgressos: nec majores quidem eorum indigenas; sed advenas Italiae cultores, has ipsas Alpes ingentibus saepe agminibus cum liberis ac conjugibus, migrantium modo, tuto transmisisse; Militi quidem armato, nihil secumpracter instrumenta belli portanti, quid invium aut inexsuperabile esse? Saguntum ut caperetur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum esse? Romam, orbis terrarum caput, petentibus, quidquam adeo asperum atque arduum videri, quod inceptum moretur? Cepisse quondam Gallos ea, quae adiri posse Poenus desperet. proinde aut cederent animo atque virtute genti, per eos dies toties ab se victae: aut itineris finem sperent campum interjacentem Tiberi ac moenibus Romanis.

II.

ORATIONES EX SALLUSTIO

I.

ORATIO

M. PORCII CATONIS,

qua proxime pracedenti orationi C. Caesaris respondet.

Ex Belli Catilinarii cap. LII.

Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo, alius alii, varie adsentiebantur. At M. Porcius Cato, rogatus sententiam, hujuscemodi orationem habuit:

Longe mihi alia mens est, P. C. cum res atque pericula nostra considero. et cum sententias nonnulorum mecum ipse reputo Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere. res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in illos statuamus, consultare. Nam cetera maleficia tum persequare. ubi facta sunt: hoc, nisi provideris, ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores. Capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortales, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam rempublicam fecistis, si ista cujuscunqee modi sint, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere vultis: expergiscimini aliquando, et capessite rempub. Non nunc agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis: libertas et anima nostra in dubio est. Saepenumero, P. C. multa verba in hoc ordine feci: saepe

de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum multosque mortales ea caussa adversos habeo. Qui mihi, atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis: tamen respubl. firma erat. opulentia negligentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus; neque, quantum, aut, quam magnificum imperium populi Romani sit: sed haec, cujuscumque modi videntur, nostra, an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi, quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: eo respub. in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes in furibus aerarii; ne illi sanguinem nostrum largiantur; et, dum paucis scleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. Bene et composite C. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita et morte disserut; credo, falsa existimans ea, quae de inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit, pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet, ne, si Romae sint, aut a popularibus conjurationis, aut a multitudine conducta, per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit: sin in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert, me mihi atque vobis timere. Quare, quum de P. Lentulo, ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae, et de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit. si paullulum modo vos languere viderint, jam omnes feroces ade-

runt. Nolite existimare, majores nostros armis rempub. ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. quippe sociorum atque civium, praeterea armorum, atque equorum, major copia nobis, quam illis est. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos et malos discrimen nullum: omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum. ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae, aut gratiae servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempub. Sed ego haec omitto. Conjuravere nobilissimi cives, patriam incendere. Gallorum gentem, infestissimam nomini Romano ad bellum arcessunt; dux hostium cum exercitu supra caput est. vos cunctamini etiam nunc, et dubitatis, quid, intra moenia deprehensis hostibus, faciatis? Miseremini, censeo. deliquere homines adolescentuli per ambitionem: atque etiam armatos dimittatis. Nae ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet. Scilicet res ipsa aspera est; sed vos non timetis eam Immo vero maxime; sed inertia et mollitia animi alius alium exspectantes, cunctamini, videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempub. in maximis saepe periculis servavere. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur. vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt. ubi socordiae te te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores: irati infestique sunt. Apud majores nostros Aulus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit, atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit. vos, de crudelissimis parricidiis quid statuatis, cunctamini. Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat.

Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si diis aut hominibus unquam ullis pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum iam patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus si quidquam pensi unquam fuisset, non ea consilia de republica habuissent. Postremo, P. C. si, mehercle, peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu in faucibus urget: alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes. neque parari, neque consuli quidquam occulte potest: quo magis properandum est. Quare ego ita censeo; quum nefario consilio sceleratorum civium respub. in maxima pericula venerit, hique indicio T. Vulturtii, et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, aliaque foeda atque crudelia facinora in cives, patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum.

2.

ORATIO

ADHEBRALIS AD SENATUM.

Rom. qua se ab Jugurtha regno fortunisque omnibus expulsum queritur.

Ex Belli Jugurthini cap. XIV.

Igitur legati ubi ab Jugurtha cum argento et auro multo Romam missi, satis confidunt, die constituto senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo loquutum accepimus.

Patres conscripti. Micipsa, pater meus, moriens mihi praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem exi-

stimarem meam: ceterum jus et imperium penes vos esse: simul eniterer domi militiaeque quam maximo usui esse populo Romano: vos mihi cognatorum, vos in locum affinium ducerem. si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae praecepta patris mei cum sgitarem, Jugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus, contemto imperio vestro, Masinissae me nepotem, utique ab stirpe socium atque amicum populo R. regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, P. C. quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob majorum meorum beneficia, posse me a vobis auxilium petere; ac maxime deberi mihi beneficia a populo Rom. quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis, uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Jugurtha qualis foret: ad vos confugi, P. C. quibus, quod mihi miserrimum est, cogor prius oneri, quam usui esse. Ceteri reges, aut bello victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appeteverunt. Familia nostra cum populo R. bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides ejus, quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, P. C. nolite pati, me, nepotem Masinissae, frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil caussae haberem, Praeter miserandam fortunam; quod paullo ante rex, genere, fama et copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto: tamen erat majestatis populi Romani, prohibere injuriam, neque pati, cuiusquam regnum per scelus crescero. Verum ego iis finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus Romanus dedit: unde pater et avus meus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, P. C. vos in mea injuria despecti estis. Eheu me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, uti, quem tu parem cum liberis tuis regnique participem feceris, is potissimum stirpis

tuae exstinctor sit? Nunquamne ergo familia nostra quieta erit? semperne in sangvine, ferro, fuga versabimur? Dum Carthaginienses incolumes fuere, jure omnia saeva patiebamur. hostes ab latere: vos, amici, procul: spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa ejecta est, laeti pacem agitabamus: quippe quis hostis? nullus, nisi forte, quem vos jussissetis. Ecce autem ex improviso Iugurtha, intolcranda audacia, scelere atque superbia, sese efferens, fratre meo, atque eodem propinquo suo, interfecto, primum regnum ejus, sceleris sui praedam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim aut bellum, exspectantem in imperio vestro, (ficuti videtis,) extorrem patria, domo, inopem, et coopertum miseriis effecit, ut ubiuis tutius, quam in meo regno essem. Ego sic existimabam, P. C. uti praedicantem audiveram patrem meum: qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere; caeterum ex omnibus maxime tutos esse. Quod in familia nostra fuit, praestitit, ut in omnibus bellis adesset vobis: nos, uti per otium tuti simus, in manu vestra est, P. C Pater nos duos fratres reliquit: tertium, Ingurtham, beneficiis suis ratus est nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus alterius ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quo potissimum infelix accedam? generis praesidia omnia extincta sunt: pater, uti necesse erat, naturae concessit: fratri, quem minime decuit, propinquus per scelus vitam eripuit: affines, amicos, propinquos ceteros meos, alium alia clades oppressit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis objecti sunt: pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris, cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent: tamen, si quid ex improviso mali accidisset, vos implorarem, P. C. quibus, pro magnitudine imperii jus et injurias omnes curae esse decet. Nunc vero exul patria, domo, solus, atque omnium honestarum rerum

egens, quos accedam, aut quos appellem? nationesne, an reges qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo Masinissa uos ita instituit, P. C. ne quem coleremus, nisi pop. Rom. ne societates, ne foedera nova acciperemus: abunde magna praesidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse. Virtute ac diis volentibus magni estis et opulenti: omnia secunda et obedientia sunt: quo facilius sociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae, parum cognita, transversos agat: quos ego audio maxima ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita caussa, statuatis: fingere me verba, et fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem haec simulantem videam: et aliquando, aut apud vos, aut apud deos immortales, rerum humanarum cura oriatur: ut ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum graves poenas reddat. Iam iam frater, animo meo carissime, quamquam tibi immaturo, et, unde minime decuit, vita erepta est: tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. non enim regnum, sed fugam, exsilium, egestatem, et omnes has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, intanta mala praecipitatus. ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo: incertus, quid agam, tuasne injurias persequar, ipse auxilii egens, an rogno consulam, cujus vitae necisque potestas ex opibus alienis pendet? Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, ne viuere contemtus viderer, si, defessus malis, injuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet fine dedecore. P. C. per vos,

per liberos atque parentes vestros, per majestatem populi Romani, subvenite misero mihi, ite obviam injuriae, nolite pati, regnum Numidiae, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.

3.

ORATIO SULLAE AD BOCCHUM REGEM.

Ex Belli Jugurthini cap. CII.

Legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos quam fidissimos ad eum mitteret: velle de suo et de populi Rom. commodo cum iis disserere. Ille statim L. Sullam et A. Manlium ire jubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere: uti ingenium ejus, aut adversum flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cujus facundiae, non aetati a Manlio concessum est, panca verba hujuscemodi locutus.

Rex Bocche, magna nobis laetitia est, quum te talem virum dii monuere, ut aliquando pacem, quam bellum, malles, neu te optimum cum pessimo omnium Jugurtha miscendo commaculares: simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem, et illum scleratissimum persequi. Ad hoc, populo Romano, jam a principio inopi, melius visum, amicos, quam servos, quaerere: tutius rati, volentibus, quam coactis imperitare. Tibi vero nulla opportunior amicitia nostra: primum, quod procul absumus; in quo offensae minimum, gratia par, ac si prope adessemus: dein, quod parentes abunde habemus; amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset: profecto ex pop. Rom. ad hoc tempus multo plura bona acce-

pisses, quam mala perpessus esses. Sed quoniam humánarum rerum fortuna pleraque regit, cui scilicet placuit, te et vim, et gratiam nostram experiri: nunc, quando per illam licet, festina, atque, uti coepisti, perge. Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in pectus tuum demitte, nunquam populum Romanum beneficiis victum esse. Nam bello quid valeat, tute scis.

4.

ORATIO

BOCCHI AD SULLAM,

qua suum erga illum studium exponit, et se bellum populo Rom. facere voluisse negat.

Ex Belli Jugurthini cap. CX.

Nunquam ego ratus sum fore, uti rex maximus in hac terra, et ómnium, quos novi opulentissimus, privato homini gratiam deberem. Et hercule, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri dolere solent, ego laetor. Fuerit mihi pretium, egüisse aliquando tuae amicitiae, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremo quidquid animo libet, sume, utere: et, quoad vives, nunquam tibi redditam gratiam putaveris; semper apud me integra erit: Denique nihil, me scientè, frustra voles. Nam, ut ego existimo, regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitiosum. Ceterum de repub. vestra, cujus curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum unquam volui: fines meos adver-

sum armatos armis tutus sum. Id omitto: quando vobis ita placet: gerite, uti vultis, cum Jugurtha bellum. Ego flumen Muluchan, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar; neque id intrare Jugurtham sinam. Praeterea, si quid meque vobisque dignum petieris, haud repulsus abibis.

5.

ORATIO

C. COTTAE CONSULIS

ad Populum.

Ex incerto libro Historiarum Sallustii.

Multa mihi pericula domi, Quirites, militiae multa adversa fuere: quorum alia toleravi, patrim repuli deorum auxiliis, et virtute mea: in queis omnibus, neque animus negotio defuit, neque decretis labos. Malae, secundaeque res, opes, non ingenium mihi mutabant: at contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Praeterea senectus, perse gravis, curam duplicat, cui misero, acta jam aetate, ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam, si parricida vestri sum, et bis genitus hic, deos penates meos, patriamque, et summum imperium vilia habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est, aut quae poena mortuo? cum omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici? A prima adoleseentia in ore vestro privatus, et in magistratibus egi: qui lingva, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium, ad malefaciendum exercui: avidissimus privatae gratiae maximas inimicitias pro rep. snscepi: qui victus cum illa simul, cum, egens alienae opis, plura mala exspectarem; vos,

Quirites, rursus mihi patriam, deos penates, cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et mors jura naturae sunt: ut sine dedecore cum civibus, fama et fortunis integer, agas, id dono datur atque accipitur Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissima repub. Namque imperatores Hispaniae stipendium, milites, arma, frumentum poscunt: et id res cogit; quoniam post defectionem sociorum, et Sertorii per montes fugam, neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostium est: nec minus Italiae maritima et provinciarum: cum interim vectigalia parva, et bellis incerta, vix partem sumtuum sustinent: ita classe, quae commeatus tuebatur, minore quam antea navigamus. Haec si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, uti lubet, ita supplicium sumite: sin communis fortuna asperior est; quare indigna vobis nobisque et repub. incipitis? Atque ego, cujus aetati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur: neque mox ingenui corporis honestius, quam pro vestra salute, finem vitae fecerim. Adsum en C. Cotta consul, facio, quod saepe majores asperis bellis fecere; voveo, dedoque me pro repub. quam deinde, cui mandetis, circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunae, et maris, et belli ab aliis acti, ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus, aut avaritiam caesum; sed volentem pro maximis beneficiis animam dono dedisse. Per vos igitur, Quirites, et gloriam majorum, tolerate adversa, et consulite reipub, Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores; quos nequicquam abnuitis, et pacis opulentiam quaeritis: cum omnes provinciae, regna, maria, terraeque, aspera aut fessa bellis sint.

III.

ORATIONES EX TACITO

I.

ORATIO VIBULENI.

Ex l. Annal. cap. XXII.

ARGUMENTUM.

Ineunte Tiberii imperio, Pannonicus Romanorum exercitus gravissimos motus et seditiones concitavit. Tumultuose flagitabat miles missionem ad id tempus, quod multitudo definiret: stipendia vero liberaliora, et remissius in se jus centurionum. Pro se quisque tumultus augebat: sed praeter ceteros Vibulenus, ex infima faece miles gregarius, seditiosas et falsas voces jactavit, quas in orationculam hanc conclusit Tacitus. Hic, ut ardentem jam imperatoris Blaesi invidiam etiam inflammaret, falsum crimen commentus, in eum debacchatus est, adstante militum furiosa multitudine. Caedem fratiis sui, et fratrem ipsum ementitus, in eum conjecit.

Vos quidem, inquit, his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde Blaese, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturae invident. Cum oculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.

2.

ORATIO
GERMANICI CAESARIS.

Ex Annal. I. cap. XLII.

ARGUMENTUM.

Praeerat Germanicus Caesar duobus exercitibus, qui in Germania propter Rhenum erant. Eorum inferior qui dicebatur, Pannonicum illum imitatus, graviores etiam motus ciere coepit: dein ad omnem audaciam et furorem prorupit. Causas seditioni praetexuit easdem, quas et Pannonicus ille, quem diximus. Sed eadem illa postulabat multo imperiosius multoque ferocius. Manus a centurionibus, tribunis, legatis, qui a senatu missi erant, non abstinuit: sed vix ab ipso Germanico. Qui uxori tum gravidae et filiolo suo metuens, quos in iis castris secum habebat, decrevit eos in Treviros mittere. Legiones magnam sibi ignominiae notam inuri, si id fierit, judicarunt. Quamobrem deprecatum ad Germanicum, ne id faceret, venerunt. Hac ille arrepta occasione usus est ad increpandam exercitus amentiam: itaque hac oratione graviter eos objurgat. Facti indignitatem exemplis aliorum, et maleficiorum per seditionem hanc perpetratorum commemoratione, demonstrat. Indignos tantis imperatoribus dicit, quorum auspiciis militarunt.

Non mihi uxor, aut filius, patre et republ. cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum, ceteri exercitus defendent: conjugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus submoveo, ut, quidquid istinc sceleris imminet, meo tantum

sangvine pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis? Quod nomen huic coetui dabo? Milites ne appellem? qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis: an cives? quibus tam proiecta senatus auctoritas. Hostium quoque jus, et sacra legationis, et fas gentium rupistis. Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu et adspectu Actiacas legiones exterruit. Nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat. Primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot praeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? Hunc ego nuncium patri, laeta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sangvine castra, flamina: meue precariam animam inter infensos trahere? Cur enim, primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o improvidi amici? melius et amantius ille, qui gladium offerebat: cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim Dii sinant, ut Belgarum, quanquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos. Tua, dive Auguste, coelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles inexitium hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite a contactu, ac dividite turbidos. Id stabile ad poenitentiamm, id fidei vinculum erit.

3.

ORATIO

GERMANICI.

Ex Annal. II. cap. LXXI.

ARGUMENTUM.

Germanicus Caesar, peragrata Egypto, in morbum incidit: quo levatus, alio repente fuit correptus, quo graviter conflictatus est, et suberat suspicio oblati a Pisone, praeside Syriae, veneni. Desperata valetudine, sic apud amicos, qui tum frequentes aderant, moribundus locutus est. Rogat, ne impune tantum scelus patiantur esse Pisoni et Plancinae, ejus uxori, quae particeps sceleris credebatur. Rationem poenarum persequendarum aperit.

Si fato concederem, justus mihi dolor, etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae, intra juventam, praematuro exitu raperent. nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meae, si quos propinquus sangvis, etiam quos invidia erga viventem movebat; inlacrimabunt, quondam florentem, et tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu; sed, quae voluerit, meminisse; quae mandaverit, exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius, quam fortunam meam, fovebatis. Ostendite pop. Roman. divi Augusti neptem, eandemque conjugem

meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit: fingentibusque scelesta mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent.

4.

ORATIO

SENECAE AD CAESAREM NERONEM.

Ex lib. XIV. cap. LIII.

ARGUMENTUM.

Caesar Nero fuerat educatus et institutus a Seneca, homine bonis artibus erudito: eumque ipse eo nomine observabat. Sed, ut sunt ineuntis aetatis auidae cupiditates, nec unquam deficiunt principes pestiferi adsentatores; habebat suarum libidinum ministros Nero: inhis Tigillinum quendam, qui rei suae augendae gratia voluptuarium hominem vehementius etiam incendebat. Adsentatores, quia videbant obstare suis conatibus, tum a Nerone perceptae disciplinae reliquias, tum ipsius Senecae severitatem, hunc sibi ab imperatore summovendum putant. Itaque cum criminantur apud Neronem. Opes ejus immodicas ostendunt, autoritatem carpunt, dotes animi, (ut eloquentiam) in deteriorem partrahunt: praesidia esse potentiae interpretantur: gravem esse dicunt Neroni magistri severitatem. Senecam nihil horum fugiebat: Neronem convenit, et hac oratione omnes conjectas calumnias diluit. Beneficia imperatoris et praemia accepta commemorat: iis se usum ad vitae mediocritatem, non ad fastum, ostendit. Dedisse operam, ut Neronem suae disciplinae alumnum, quam optimis prae-

ceptis imbueret. Opes nullas quaesisse. Quia nulla sua culpa, sed invidorum malevolentia male audiat, rogat, ut bona sua alicui tradantur administranda: sibi vero nihil, nisi quod adhoneste degendam vitam requiratur, fruendum concedatur.

Quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum; octavus, ut imperium obtines; medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit, nisi moderatio ejus. Utar magnis exemplis, nec meae fortunae, sed tuae. Abavus tuus, Augustus, M. Agrippae mitylenense secretum; C. Maecenati, urbe in ipsa, velut peregrinum otium permisit: Quorum alter bellorum socius, alter Romae pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis, praemia acceperant. Ego quid aliud munificentiae adhibere tuae potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata? e quibus claritudo veni, quod juventae tuae rudimentis adfuisse videor, grande hujus rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo, ut plerumque intra me ipse volvam: Ego ne, equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis annumeror? Inter nobiles, et longa decora praeferentes, novitas mea enituit? Ubi est animus ille, modicis contentus? Tales hortos instruit, et per haec suburbana incedit, et tantis agrorum spatiis, tam lato foenore exuberat? Una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque mensuram implevimus, et tu, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere. Cetera invidiam avgent. quae quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacent; sed mihi incumbunt: mihi subveniendum est. Quomodo in militia, aut via, fessus adminiculum orarem; ita, in hoc itinere vitae, senex, et levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto. Jube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam; sed

traditis, quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curae seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur, et tot per annos nixum fastigii regimen: possumus seniores amici quiete respondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui et modica tolerarent.

5.

RESPONSIO

NERONIS AD SENECAM.

Ex eodem libro XII. cap. LV.

ARGUMENTUM.

Respondet praeceptoris defensioni Nero, singula ab illo proposita capita persequens. Institutionis gratam memoriam testatur. Illius caussas adfert, et consequuta commoda praedicat: beneficentiam suam erga illum extenuat. Invidiae caussas, quae captabantur, removet. Parcius etiam donatum illum a se, quam pro meritis. Ut vero ipsi bonorum administratione interdicatur, neutri honestum esse ostendit: sibi multo etiam ignominiosius. Pro eo enim habitum iri, ac si beneficia collata reposceret.

Abavus meus, Augustus, Agrippae et Maecenati usurpare otium post labores concessit; sed in ea ipsa aetate, cujus auctoritas tueretur, quicquid illud et qualecunque tribuisset. Attamen neutrum datis a se praemiis exuit. Bello et periculis meruerant: in his enim juventa Augusti versata est. Nec mihi tela et manus tuae defuissent, in armis agenti. Sed quod praesens conditio poscebat, ratione, consilio, praeceptis puritiam, dein juventam meam fovisti. Et tua quidem erga me

munera, dum vita suppetet, aeterna erunt. Quae a me habes, horti, et fenus, et villae, casibus obnoxia sunt; ac licet multa videantur, plerique, haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est, quod praecipuus caritate, nondum omnes fortuna antecellis. Verum et tibi valida aetas, rebusque et fructui rerum sufficiens: et nos prima imperii spatia ingredimur: nisi forte aut te Vitellio, ter consuli, aut me, Claudio postponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae declinat, revocas; ornatumque robur subsidio impensius regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam; nec quies, si reliqueris principem; sed mea avaritia, meae crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur: non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere.

6.

ORATIO

AGRICOLAE.

Ibidem cap. XXXIII.

ARGUMENTUM.

Ut suos cohortatione ad pugnam incenderat Galgacus, sic Julius Agricola, dux Romanarum copiarum, metum et cunctationem omnem eripere suis cohortando conatur. De belli aequitate hoc tantum dicit, fuisse aliquot ante annos commotum et gestum ab iisdem illis militibus: nunc idem redintegratum geri. Jubet igitur eos, parem animorum praesentiam

concipere, quam superiobus praeliis adversus eosdem hostes attulerint. Admonet pristinae gloriae, quae sit illustranda virtute, non obruenda ignavia. Reliqua est oratio in despiciendis hostibus, quorum infirmas vires ostendit; unde exacuendorum animorum facultatem sumit.

Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra, Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit: neque me militum, neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos piorum exercituum terminos, finem Britanniae, non fama, nec rumore, sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia, et subacta. Equidem saepe in agmine, quum vos paludes, montesve: et flumina fatigarent, fortissimi cujusque vocem audiebam: Quando dabitur hostis? Quando acies? Veniunt, a latebris suis extrusi. Et vota, virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam, ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus, et arma, et in his omnia. Quod ad me attinet, jampridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sint. Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse. Si novae gentes atque gnota acies constitisset: aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis adgressos, clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tamdiu superstites. Quomodo silvas, saltusque penetrantibus, fortissimum quodque ani-

mal robore, pavida et inertia, ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum jampridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissimi: ideo extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam edercetis. Transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem. Approbate reipub. nunquam exercitui imputari potuisse, aut moras belli, aut caussas rebellandi.

IV.

ORATIOMES EX Q. CURTIO.

I.

ORATIO

LEGATORUM DARII

ad Alexandrum.

Ex lib. IV. cap. XI.

Darius, et armis jam duobus proeliis ab Alexandro victus, et admiratione virtutis commotus, nunciata illius humanitate et lenitate erga captivas mulieres, inprimis erga uxorem, cui ille mortuae non secus, ac conjugi, illacrymarat; legatos ad eum de pace mittit, qui aequis conditionibus, si ad eas adduci possit, cum eo transigant. Ii ad eum quum venissent, ad exponendam legationem hac oratione sunt usi, qua eum, et blande, prolixeque pollicendo, et graviter commonefaciendo, ad pacem flectere sunt conati.

Darium, ut pacem a te jam hoc tertio peteret, nulla vis subegit; sed justitia et continentia tua expressit. Matrem,

conjugem, liberosque ejus, nisi, quod sine illo sunt, captos esse non sensit. Pudicitiae earum, quae supersunt, curam, haud secus, quam parens agens, reginas appellas, speciem pristinae fortunae retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit, quum dimitteremur ab eo: et ille tamen uxorem, tu hostem luges. Jam in acie stares, nisi cura te sepulturae ejus moraretur. Ecquid mirum est, si a tam amico animo pacem petit? Quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo finem destinabat Halyn amnem, qui Lydiam terminat. Nunc, quidquid inter Hellespontum et Euphraten est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit. Ochum filium, quem habes, pacis et fidei obsidem retine. Matrem et duas virgines filias redde. Pro tribus corporibus xxx millia talentum auri, precatur, accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem, hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice, quantum post te reliqueris, intuere, quantum petas. Periculosum est praegrave imperium: difficile est continere, quod capere non possis. Videsne, ut navigia, quae modum excedunt, regi nequeant? Nescio, an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiae opes magnae jacturae locum faciunt. Facilius est, quaedam vincere, quam tueri. Quam, hercule, expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent! Ipsa mors uxoris Darii te admonere potest, minus jam misericordiae tuae licere, quam licuit.

2.

ORATIO
ALEXANDRI AD LEGATOS DARII.

Ex eodem licro IV. cap. XI.

ARGUMENTUM.

Refutato Parmenione, respondet legatis Darii Alexander, qui pacis praemia, si pace uti vellet, obtulerant. Ea Alexander omnia, et pacis conditiones repudiat, duabus de causis; quod Darii insidiis appetitus sit, et quod sua jam, et a se occupata, sibi offerantur. Se ita ab armis discessurum dicit, si ille se suaque omnia victoris arbitrio dedat.

Nuntiate Dario, gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse, et me, quae fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae ejus tribuisse, sed naturae meae: nec adversus calamitates, sed adversus hostium vires contendere. Bellum cum captivis et foeminis gerere non soleo, armatus sit oportet, quem oderim. Quod si saltem pacem bona fide peteret, deliberarem forsitan, an darem. Verum enim vero, cum modo milites meos litteris ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet, ad internecionem mihi persequendus est, non ut justus hostis, sed ut percussor et veneficus. Conditiones vero pacis, quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quae post Euphraten sunt, liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphraten sum. Summam ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam, vestrum esse, quod cedilis. Eadem liberalitate det mihi filiam suam, nempe, quam scio alicui servorum suorum, nupturam. Multum vero mihi praestat, si me Mazaeo

generum praeponit. Ite, nunciate regi vestro, et quae amisit, et quae adhuc habet, praemia esse belli. Hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod iustis assignatura fortuna est; et me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis darem. Si secundus tamen, et non par mihi vellet haberi, facerem forsitan, quae petit. Ceterum, nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum, potest habere. Proinde, aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum parct: nec aliam sibi, quam expertus est, polliceatur fortunam.

3.

ORATIO

DARII AD MILITES.

ante proelium.

Ex lib. IV. cap. XIV.

ARGUMENTUM.

Dimicaturus acie jam tertium adversus Macedonas Darius, suos ad proelium praesenti animo capessendum hortatur, praepositis iis, quae in deliberando gravissima sunt, salute conjugum, liberorum, libertatis defensione: de quibus omnibus, aut amittendis, aut recuperandis, hoc proelio decernant. Clades acceptas commemorat: quo illis res redierit, ostendit. Et, ne superiorum cladium recordatio debilitet animos, extenuat ac despicit virtutem, res gestas, vires Alexandri. Denique mixtis cohortatione precibus eos animat.

Terrarum, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paullo ante domini, jam non de gloria, sed de sa-

lute, et quod saluti praeponitis, de libertate pugnandum est. Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit aetas, aut constituet, aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certavimus. In Cilicia victos Syria poterat excipere. Magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Ventum est eo, unde pulsis ne fugae quidem locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt. Non incolas suos urbes, non cultores habent terrae. Conjuges quoque et liberi sequuntur hanc aciem, parata hostibus praeda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem paene immensa planities vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: commeatus ne tantae multitudini deessent, providi, locum, in quo acies explicari posset, elegi. Cetera in vestra potestate sunt. audete modo vincere, famamque, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quae, ubi primum impetum effudit, velut quaedam animalia, amisso aculeo torpet. Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciae montes absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam. Nam ultimi, quos locavit aversos, terga jam praebent. Obteri mehercule equorum ungulis possunt, etiamsi nil, praeter falcatos currus, emisero. Et bello vicerimus, si vincimus proelio. Nam ne illis quidem ad fugam locus est. Hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos: et, quae antea pro illis erant, in contrarium conversa sunt. Nostrum mobile et expeditum agmen est; illud praeda grave. Implicatos ergo, spoliis nostris trucidabimus: eademque res et caussa victoriae erit, et fructus. Quod si quem e vobis nomen gentis movet, cogitet, Macedonum illic arma esse, non corpora. Multum enim sanguinis invicem hausimus, et semper gravior in paucitate jactura est. Nam Alexander, quantuscunque ignavis et timidis videri potest, unum animal est, et, si quid mihi creditis, temerarium et vecors; adhuc nostro pavore,

quam sua virtute felicius. Nihil autem potest esse diuturnum, cui non subest ratio. Licet felicitas aspirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit. Praeterea breves et mutabiles vices rerum sunt, et fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita dii fata ordinaverunt, ut Persarum imperium, quod secundo cursu per cexxx annos ad summum fastigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam affigerent, admonerentque nos fragilitatis humanae, cujus nimia in prosperis rebus oblivio est. Modo Graecis ultro bellum inferebamus; nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. Iactamur invicem varietate fortunae. Videlicet imperium, quod mutuo adsectamus, una gens non capit. Ceterum, etiamsi spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet. Ad extrema perventum est. Matrem meam, duas filias, Ochum, in spem hujus imperii genitum, illos principes, illa sobolem regiae stirpis, duces vestros, regum instar, victos habet: nisi, quod in vobis est, ipse ego, majore mei parte, captivus sum. Eripite viscera mea ex vinculis, restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso; parentem, liberos, (nam conjugem in illo carcere amisi). Credite, nunc omnes tendere ad vos manus, implorare patrios deos, opem vestram, misericordiam, fidem exposcere' ut servitute, ut compedibus, ut precario victu ipsos liberetis. An creditis, aequo animo iis servire, quorum reges esse fastidiunt? Video admoveri hostium aciem: sed, quo propius discrimen accedo, hoc minus iis, quae dixi, possum esse contentus. Precor vos per deos patrios, aeternumque ignem, qui praefertur altaribus, fulgoremque solis, intra fines regni mei orientis, per aeternam memoriam Cyri, qui ademtum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit, vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum. Ite alacres et spe pleni, ut, quam gloriam accepistis a majoribus vestris, posteris relinquatis. In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quisquis contemserit: timidissimum

quemque consequitur. Ipse non patris more solum, sed etiam, ut conspici possim, curru vehor. Nec recuso, quo minus imitemini me, sive fortitudinis exemplum, sive ignaviae fuero.

4.

ORATIO

ALEXANDRI AD MILITES,

dissuadentis immaturum reditum.

Ex lib. VI. cap. III.

ARGUMENTUM.

Inclinatis jam animis multitudinis ad requietem laboriosae militiae optandam, acceserat sparsus, sine auctore quidem, sed ex diuturnioribus stativorum occasione, excitatus, missionis rumor. Qui etsi temere percrebuerat, tamen tanta fuerat omnium aviditate acceptus, ut jam totis castris a gregariis militibus reditus compararetur. Quae res non mediocriter Alexandrum vix ea ingressum, quae animo et spe praeceperat, perculit. Itaque, proceribus per errorem incusatis, illis ipsis auctoribus vulgus ab eo errore et cupiditate deducere hac oratione statuit. Qua leniter objurgat milites, quod immaturum suarum victoriarum fructum velint percipere. Duas exponit consilii sui caussas, quin nondum inceptis desistat. Neque, quae parta sint, retineri posse, nisi, subactis hostibus, qui supersint: et his domitis, multo uberiores victoriae fructus ostendi, et sese offerre. Haec, nisi pacata, teneri non posse: pacata vero secum multo his plura esse allatura. Eos praeterea ad persequendas de percussoribus Darii poenas impellit.

Magnitudinem rerum, quas gessimus, milites, intuentibus vobis, minime mirum est, et desiderium quietis, et satietatem gloriae occurrere, ut omittam Illyrios, Triballos, Boeotiam, Thraciam, Spartam, Achaeos, Peloponnesum: quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui. Ecce orsi bellum ad Hellespontum, Ionas, Aeolidem servitio barbariae impotentis exemimus: Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pisidas, Ciliciam, Syriam, Phoenicen, Armeniam, Persidem, Medos, Parthienem habemus in potestate. Plures provincias complexus sum, quam alii urbes ceperunt: et nescio, an enumeranti mihi quaedam ipsarum rerum multitudo subduxerit. Itaque, si crederem, satis certam esse possessionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus: ego vero, milites, ad penates meos, ad parentem, sororesque, et caeteros cives, vel, renitentibus vobis, erumperem, ut ibi potissimum parta vobiscum laude et gloria fruerer, ubi nos uberrima victoriae praemia exspectant, liberorum, conjugum, parentumque laetitia, pax, quies, rerum per virtutem partarum secura possessio. Sed in novo, et (si verum fateri volumus,) precario imperio, adhuc jugum ejus rigida cervice subeuntibus barbaris, tempore, milites, opus est, dum mitioribus ingeniis imbuantur, et efferatos mollior consuetudo permulceat. Fruges quoque maturitatem statuto tempore expectant: adeo etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. Quid? creditis, tot gentes alterius imperio ac nomini adsuetas, non sacris non moribus, non commercio linguae nobiscum cohaerentes, eodem praelio domitas esse, quo victae sunt? Vestris armis continentur, non suis moribus: et, qui praesentes metuunt, in absentia hostes erunt. Cum feris bestiis res est, quas captas et inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat. Et adhuc sic ago, tanquam omnia subacta sint armis, quae fuerunt in ditione Darii. Hyrcaniam Nabarzanes occupavit: Bactra non possidet solum parricida Bessus, sed etiam mina-

tur: Sogdiani, Dahae, Massagetae, Saeae, Indi, sui juris sunt. Omnes hi, simul, si terga nostra viderint, sequentur. Illi enim ejusdem nationis sunt, nos alienigenae et externi. Suis autem quique parent placidius, etiam, cum is praeest, qui magis timeri, potest. Proinde, aut, quae cepimus, omittenda sunt, aut quae non habemus, occupanda. Sicut in corporibus aegris, milites, nihil, quod nociturum est, medici relinquunt; sic nos, quidquid obstat imperio, recidamus. Parva saepe scintilla contemta, magnum excitavit incendium. Nil tuto in hoste despicitur: quem spreveris, valentiorem negligentia facies. Ne Darius quidem hereditarium Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri, beneficio Bagoae, castrati hominis, admissus: ne vos magno labore credatis Bessum vacuum regnum occupaturum. Nos vero peccavimus, milites, si Darium ob hoc vicimus, ut servo ejus traderemus imperium: qui ultimum, ausus scelus, regem suum, etiam externae opis egentem, certe, cui nos victores pepercissemus, quasi captivum in vinculis habuit: ad ultimum, ne a nobis conservari posset, occidit. Hunc vos regnare patiemini? quem equidem cruci adfixum videre festino, omnibus regibus gentibus fidei, quam violavit, merita poenas solventem. At, hercule, si mox eundem Graecorum urbes, aut Hellespontum vastare nuntiatum erit vobis, quo dolore afficiemini, Bessum praemia vestrae occupasse victoriae? Tunc ad repetendas res festinabitis: tunc arma capietis. Quanto autem praestat, territum adhuc, et vix mentis suae compotem, opprimere? Quatridui nobis iter superest, qui tot proculcavimus nives, tot amnes superavimus, tot montium juga transcurrimus. non mare illud, quod exaestuans iter fluctibus occupat, euntes non moratur, non Ciliciae fauces et angustiae includunt: plana omnia et prona sunt. In ipso limine victoriae stamus. Pauci nobis fugitivi et domini sui interfectores supersunt. Egregium, mehercule, opus, et inter praemia gloriae vestrae numerandum, posteritati famaeque tradetis; Darii quoque, hostis,

finito post mortem ejus odio, parricidas esse vos ultos: neminem impium, effugisse manus vestras. Hoc perpetrato, quando creditis Persas obsequentiores fore, cum intellexerint, vos pia bella suscipere; et Bessi sceleri, non nomini suo, irasci?

5.

ORATIO

ALEXANDRI.

Ex lib. VI. cap. IX.

ARGUMENTUM.

Alexander ex amicorum sententia compertum scelus intestinum, quo paene oppressus fuerat, ad concionem defert, tum, ut secunda multitudinis voluntate quaestio in conjuratos exerceatur, tum etiam, quia illustres sunt; ut illis apud exercitum invidiam conflet, a se vero avertat, si in eos acerbe animadvertat. Haec igitur oratio primum querelam habet indignissimi facinoris comparati a reis conjurationis. Post invehitur praecipue in eum, qui sibi patefactum scelus silentio texerat et foverat: eumque ejusdem insimulat criminis.

Paene, milites, paucorum hominum scelere vobis ereptus sum. Deûm providentia et misericordia vivo: conspectusque vester venerabilis cogit, ut vehementius parricidis irascerer: quoniam spiritus, immo unus vitae meae fructus est, tot fortissimis viris, et de me optime meritis referre adhuc gratiam posse. Interrupit orationem militum gemitus, obortaeque sunt omnibus lacrymae. Tum rex. Quanto inquit, majorem in animis vestris motum excitabo, cum tanti sceleris autores ostendero, quorum mentionem adhuc reformido: et, tanquam salvi

esse possint, nominibus abstineo? Sed vincenda est memoria pristinae caritatis, et conjuratio impiorum civium detegenda. Quomodo autem tantum nefas sileam? Parmenio, illa aetate, tot meis, tot parentis mei meritis devinctus, omnium nobis amicorum vetustissimus, ducem tanto sceleri se praebuit. Minister ejus Philotas, Peucolaum et Demetrium, et hunc Dymnum, cujus corpus adspicitis, ceterosque ejusdem amentiae in caput meum subornavit.

Fremitus undique indignantium, querentiumque tota concione obstrepebat qualis solet esse multitudinis, et maxime militaris, ubi aut studio agitur, aut ira. Nicomachus deinde, et Metron, et Cebalinus producti, quae quisque detulerat, exponunt. Nullius eorum indicio Philotas particeps sceleris destinabatur. Itaque indignatione pressa vox indicum silentio excepta est. Tum rex: Qualis, inquit, ergo animi vobis videtur, qui hujus rei delatum indicium ad ipsum suppressit? quod non fuisse vanum, Dymni exitus declarat. Incertam rem deferens, tormenta non metuit Cebalinus; Metron ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, ut eo, ubi lavabar, irrumperet. Philotas solus nihil timuit, nihil credidit. O magni animi virum! Iste, si regis periculo commoveretur, vultum non mutaret? Indicem tantae rei solicitus non audiret? Subest nimirum silentio facinus, et avida spes regni praecipitem animum ad ultimum nefas impulit. Pater Mediae praest; ipse apud multos copiarum duces meis praepotens viribus, majora, quam capit, spirat. Orbitas quoque mea, quod sine liberis sum, spernitur. Sed errat Philotas. In vobis liberos, parentes, consangvineos habeo: vobis salvis, orbus esse non possum. Epistolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorem et Philotam scripserat, recitat, haud sane indicium gravioris consilii praeferentem. Namque summa ejus haec erat. Primum vestri curam agite, deinde vestrorum: sic enim, quae destinavimus, efficiemus: Adjecitque rex: Sic esse scriptam, ut

sive ad filios pervenisset, a consciis posset intelligi; sive intercepta esset, falleret ignaros. At enim Dymnus, cum ceteros participes sceleris indicaret, Philotam non nominavit. Hoc quidem illius non innocentiae, sed potentiae, indicium est, quod sic ab iis timetur etiam, a quibus prodi potest, ut, cum de se fateantur, illum tamen celent. Ceterum Philotam ipsius indicat vita. Hic Amyntae, qui mihi consobrinus fuit, et in Macedonia capiti meo impias comparavit insidias, socium se et conscium adjunxit. Hic Attalo, quo graviorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic, cum scripsissem ei, pro jure tam familiaris usus atque amicitiae, qualis sors edita esset Jovis Ammonis oraculo, sustinuit rescribere mihi, se quidem gratulari, quod in numerum deorum receptus essem: ceterum misereri eorum, quibus vivendum esset sub eo, qui modum hominis excederet. Haec sunt etiam animi, pridem alienati a me, et invidentis gloriae meae indicia: quae quidem, milites, quamdiu licuit, in animo pressi. Videbar enim mihi partem viscerum meorum obrumpere, si, in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed jam non verba punienda sunt: lingvae temeritas pervenit ad gladios. Hos, si mihi creditis, Philotas in me acuit. Id si ipse admisit, quo me conferam milites? cui caput meum credam? Equitatui, optimae exercitus parti, principibus nobilissimae juventutis unum praefeci: salutem, spem, victoriam meam, fidei ejus tutelaeque commisi: patrem in idem fastigium, in quo me ipsi posuistis, admovi. Mediam, qua nulla opulentior regio est, tot civium sociorumque millia, imperio ejus ditionique subjeci. Unde praesidium petieram, periculum extitit. Quam feliciter in acie occidissem, potius hostis praeda, quam civis victima? nunc servatus ex periculis, quae sola timui, in haec incidi, quae timere non debui. Soletis identidem a me, milites, petere, ut saluti meae parcam. Ipsi mihi praestare potestis, quod suadetis, ut faciam. Ad vestras manus, ad vestra arma confugio:

tuvitis vobis, salvus esse nolo: volentibus, non possum, nisi vindicor.

6.

ORATIO

PHILOTAE

Ex lib. VI. cap. X.

ARGUMENTUM.

Philotas erat clarissimi Macedonis Parmenionis filius. Is non coiverat quidem tum conjuratis illis, ut vim regi omnes adferrent; sed rem ad se delatam per indicem, ut modo attigimus, silentio praeteriit, pollicitus tamen, se ad regem perlaturum: admonentemque illum et urgentem, ut ad regem deferret, eludebat, et aliud ex alio excusabat. Admonebatur autem hic insidiarum potissimum, quod ex cohorte regia erat et praeter ceteros clarus, magnaque apud regem gratia. Re igitur per alios patefacta, primum ad causam dicendam est arcessitus ad regem solutus: post, consultis a rege amicis, in vincula est conjectus, et ad concionem productus, gravius etiam, quam ceteri, est ab eo accusatus; et ex silentio conjurationis reus peractus. Admissus tamen est etiam ad causam pro concione dicendam: verum aberat rex, cum is pro se diceret. Hanc igitur tum pro se orationem habuit, qua inficiatur intentum a rege crimen: suspiciones diluit: argumenta conatur refellere: multa, quae in eum erant invidiose conjecta, rejicit. Purgat se crimine appetiti dominatus, quo insimulatus fuerat, et cogitati parricidii in regem. patrem, qui eadem laborabat invidia, et crimine eodem premebatur, sed absens, etiam defendit. Vicem illius non minus ac suam deflet: quod reus sit atrocissimi criminis, et particeps acerbissimi casus filii sui.

Verba innocenti reperire facile est: modum verborum misero tenere, difficile. Itaque inter optimam conscientiam et iniquissimam fortunam destitutus, ignoro, quomodo, et animo meo, et tempori parcam. Abest quidem optimus caussae meae judex; qui cur me ipse audire noluerit, non, me hercule, excogito, cum illi, utrimque cognita caussa, tam damnare me liceat, quam absolvere: non cognita vero, liberari ab absenti non possum, qui a praesente damnatus sum. Sed quanquam vincti hominis non supervacua solum, sed etiam invisa defensio est, quae judicem non docere videtur, sed arguere: tamen, utcunque licet dicere, memet ipse non deseram, nec committam, ut damnatus etiam mea sententia videar. Equidem, cujus criminis reus sim, non video. Inter conjuratos nemo me nominat. De me Nicomachus nihil dixit. Cebalinus plus, quam audierat, scire non potuit. Atqui conjurationis caput me fuisse credit rex. Potuit ergo Dymnus eum praeterire, quem sequebatur? praesertim, cum quaerenti socios, vel falso fuerim nominandus, quo facilius, qui verebatur, posset impelli. Non enim detecto facinore nomen meum praeteriit, ut posset videri socio pepercisse. Sed Nicomacho, quem taciturum arcana de semetipso credebat, confessus, aliis nominatis, me unum subtrahebat. Quaeso, commilitones, si Cebalinus me non adisset, nihil me de conjuratis scire voluisset: num hodie dicerem caussam nullo me nominante? Dymnus sane, et vivat adhuc, et velit mihi parcere. quid ceteri? qui de se confitebuntur, me videlicet subtrahent? Maligna est calamitas, et fere noxius, quum suo supplicio cruciatur, adquiescit alieno. Tot conscii, ne inequuleum quidem impositi, verum fatebuntur? Atqui nemo parcit morituro, nec cuiquam moriturus, ut opinor. Ad verum crimen et ad unum revertendum mihi est. Cur rem delatam ad te tacuisti? cur tam securus audisti? Hoc qualecunque est, confesso mihi, ubicunque es, Alexander, remisisti? dexteram tuam amplexus, reconciliati pignus animi, convivio quoque in-

terfui. Si credidisti mihi, absolutus sum: si pepercisti, dimissus. Vel judicium tunm serva. Quid hac proxima nocte, qua digressus sum a mensa tua, feci? Quod novum facinus, delatum ad te, mutavit animum tuum? Gravi sopore adquiescebam, cum me, malis indormientem meis, inimici vinciendo excitarunt. Unde, et parricidae, et proditori tam alti quies somni? Scelerati, conscientia obstrepente, cum dormire non possint, agitant eos furiae, non consummato modo, sed et cogitato parricidio. At mihi securitatem primum innocentia mea, deinde dextera tua obtulerant. Non timui, ne plus alienae crudelitati apud te liceret, quam clementiae tuae. Sed, ne te mihi credidisse poeniteat, res ad me deferebatur a puero, non testem, non pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes metu, si coepisset audiri. Amatoris et scorti jurgio interponi aures meas credidi infelix, et fidem ejus suspectam habui, quod non ipse deferret, sed fratrem potius subornaret. Timui, ne negaret, mandasse se Cebalino, et ego viderer multis amicorum regis fuisse periculi caussa. Sic quoque, quum laeserim neminem, inveni, qui mallet perire me, quam incolumem esse. Quid inimicitiarum creditis excepturum fuisse, si insontes lacessissem? At enim, Dymnus se occidit. Num igitur, facturum eum, divinare potui? Minime. Ita, quod solum indicio fidem fecit, id me, quum a Cebalino interpellatus sum, movere non poterat. At, hercule, si conscius Dymno tanti sceleris fuissem, biduo illo proditos esse nos, dissimulare non debui. Cebalinus ipse tolli de medio nullo negotio potuit. deinde post delatum indicium, quo periturus eram, cubiculum regis solus intravi, ferro quidem cinctus. Cur distuli facinus? an sine Dymno non sum ausus? Ille igitur princeps conjurationis fuit. Sub illius umbra Philotas latebam, qui regnum Macedonum adfecto. Et quis e vobis corruptus est donis? quem ducem, quem praefectum impensius colui? Mihi quidem obiicitur, quod societatem patrii sermonis asperner, quod Ma-

cedonum mores fastidiam. Sic ergo imperio, quod dedignor, immineo? Iam pridem nativus ille sermo commercio aliarum gentium exolevit; tam victoribus, quam victis, peregrina lingva discenda est. Non, mehercule, ista me magis laedunt, quam quod Amyntas, Perdiccae filius, insidiatus est regi: cum quo quod amicitia fuerit mihi, non recuso defendere, si fratrem regis non oportuit diligi a nobis. Sin autem in illo fortunae gradu positum etiam venerari necesse erat, utrum, quaeso, quod non divinavi, reus sum? An impiorum amicis insontibus quoque moriendum est? Quod si aequum est, cur tamdiu vivo? si injustum, cur nunc demum occidor? At enim scripsi, misereri me eorum, quibus vivendum esset sub eo, qui se Iovis filium crederet. Fides amicitiae, veri consilii periculosa libertas, vos me decepistis! vos, quae sentiebam, ne reticerem impulistis! Scripsisse me haec fatcor regi, non de rege scripsisse. non enim faciebam invidiam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur, qui Iovis stirpem tacitus agnosceret, quam qui praedicatione jactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est, sit deus caussae meae testis. Retinete me in vinculis, dum consulitur Ammon in arcanum et occultum scelus. Interim, qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suae insidiati sunt, latere patietur. Si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendae veritatis fidem deprecor. Solent rei capitis adhibere vobis parentes. Duos fratres nuper ego amisi: patrem nec ostendere possum, nec invocare audeo, cum et ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim, tot modo liberorum parentem, in unico filio acquiescentem, eo quoque orbari, ni ipse in rogum meum imponitur. Ergo, carissime pater, et propter me morieris, et mecum. Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam extingvo. Quid enim me procreabas infelicem adversantibus Diis? An, ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio, adolescentia mea miserior sit, an senectus tua. Ego in ipso robore aetatis

eripior: tibi carnifex spiritum adimet, quem, si fortuna exspectare voluisset, natura reposcebat. Admonuit me patris mei mentio, quam timide et cunctanter, quae Cebalinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim cum audisset venenum a Philippo medico regi parari, deterrere cum voluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. Num creditum est patri meo? num ullam autoritatem ejus literae habuerunt? Ego ipse quoties, quae audieram, detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum. Si et cum indicamus, inuisi; et cum tacemus, suspecti sumus; quid facere nos oportet?

Cumque unus e circumstantium turba exclamasset: Bene meritis non insidiari: Philotas,

Recte, inquit, quisquis es dicis. Itaque, si insidiatus sum, poenam non deprecor: et finem facio dicendi, quoniam ultima verba gravia sunt visa auribus vestris.

7.

ORATIO

SCYTHARUM LEGATI

Ex lib. VII. cap. VIII.

ARGUMENTUM.

Alexander habebat in animo, Scythis bellum inferre. Illi non erant nescii: sed colloquio et compositione prius, quam armis bellum propulsare voluerant. Itaque legationem ad Macedonem miserunt, quae belli illati causas quaereret. Cujus haec fuit oratio, tota collata ad Alexandrum commonendum, et a temeritate ad moderationem et prudentiam revocandum. Docent igitur legati, Scythas, et pacis, et belli artes optime cal-

lere. Itaque, hos ut sibi benevolentia adjungat potius, quam ad vim et ad arma vocet, admonet. Imbecillam felicitatem et casus anceps ites inculcant, multaque in hunc sententiam dicunt. Si debellentur, suam cladem sine ullo regis commodo esse posse, victoriam, non sine maximo ejus detrimento.

Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet. Altera manu orientem, altera occidentem contingeres. Et hoc adsecutus, scire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quae non capis. Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam. Deinde, si humanum genus omne superaveris, cum silvis et nivibus et fluminibus, ferisque bestiis gesturus es bellum. Quid tu? ignoras, arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit: et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licet ne ignorare in vastis silvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus. Dona a nobis data sunt, ne Scythiarum gentem ignores, jugum boum, aratrum, et sagitta et patera. His utimur, et cum amicis, et adversus inimicos. Fruges amicis damus, bonis laboribus quaesitas: patera cum his vinum diis libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. Sic Syriae regem, et postea Persarum, Medorumque superavimus, patuitque nobis iter usque in Aegyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire; omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes, Bactrianos habes in potestate, Indos petisti. Iam etiam ad pecora nostra avaras et insatiabiles manus porrigis. Quid tibi divitiis opus est, quae te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti

famem, ut, quo plura haberes, acrius, quae non habes, cupe-
res. Non succurrit tibi, quam diu circum Bactra haereas?
Dum illos subigis, Sogdiani bellare coeperunt. Bellum tibi ex
victoria nascitur. Nam, ut major fortiorque sis, quam quis-
quam; tamen alienigenam dominum pati nemo vult. Transi
modo Tanaim, scies, quam late pateant, nunquam tamen con-
sequeris Scythas. Paupertas nostra velocior erit, quam exerci-
tus tuus, qui praedam tot nationum vehit. Rursus, cum pro-
cul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim ve-
locitate et sequimur et fugimus.

SCYTHARUM SOLITUDINES Graecis etiam proverbiis audio eludi. At nos deserta et humano cultu vacua, magis, quam urbes et opulentos agros, sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene: lubrica est, nec invita teneri potest. Salubre consilium sequens, quam praesens tempus, ostendit melius. Impone felicitati tuae frenos; facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus et pinnas tantum habet. Cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Denique, si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est, eorum meminisse, propter quae tui obliviscaris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima est inter pares amicitia: et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos vicceris, amicos tibi esse, cave, credas. Inter dominum et servum nulla amicitia est: etiam in pace, belli tamen jura servantur. Jurando gratiam Scythas sancire, ne credideris: colendo fidem, juvant. Graecorum ista cautio est, qui acta consignant, et deos invocant. nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. Ceterum nos, et Asiae, et Europae custodes habebis. Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus. Ultra Tanaim, usque ad Thraciam colimus.

Thraciae Macedoniam conjunctam esse, fama est. Utrique imperio tuo finitimos, hostes, an amicos, velis esse, considera.

8.

ORATIO
HERMOLAI.

Ex lib. VIII. cap. VII.

ARGUMENTUM.

Hermolaus, nobilis adolescens, ex cohorte regia, acerbiore regis animadversione irritatus, impulsore Sostrato, consilium regis per insidias opprimendi cum aliquot conscriis iniit. Statuit dolorem ulcisci suum. Res ab indice prolata est. Conscii sceleris capti, verberibus torti et necati sunt, praeter eum, qui indicium fecerat. Solus Hermolaus causam dixit, audiente militum corona. Ejus est haec oratio, qua non inficiatur factum, sed facti aequitatem defendit. Sibi enim constitutum fuisse de medio tollere non regem, sed crudelem et multorum jam caede contaminatum tyrannum, fastidiosum, superbum, suorum sanguine et vulneribus gloriam sibi quaerentem, denique indignum, qui ingenuis imperet, et liberorum hominum utatur opera.

Nos vero, quoniam, quasi nescias, quaeris, occidendi te consilium inivimus, quia non, ut ingenuis imperare coepisti, sed quasi in mancipia dominaris.

Primus ex omnibus pater ipsius, Sopolis, parricidam etiam parentis sui, clamitans esse, consurgit et ad os manu objecta scelere et malis insanientem, ultra negat audiendum. Rex, inhibito patre, dicere Hermolaum jubet, quae ex magistro didicisset Callisthene Et Hermolaus:

Utor, inquit, beneficio tuo, et dico, quae nostris malis didici. Quota pars Macedonum saevitiae tuae superest? quotusquisque non e vilissimo sangvine? Attalus, et Philotas, et Parmenio et Lyncestes Alexander, et Clytus, quantum ad hostes pertinet, vivunt, stant in acie, te clypeis suis protegunt et pro gloria tua, pro victoria, vulnera accipiunt: quibus tu egregiam gratiam retulisti: Alius mensam tuam sangvine suo adspersit: alius ne simplici quidem morte defunctus est. Duces exercituum tuorum in equuleum impositi, Persis, quos vicerant, fuere spectaculo. Parmenio, indicta caussa, trucidatus est, per quem Attalum occideras. Invicem enim miserorum uteris manibus ad expętenda supplicia. Et quos paullo ante ministros caedis habuisti, subito ab aliis jubes trucidari.

Obstrepunt subinde cuncti Hermolao. Pater supremum strinxerat ferrum, percussurus haud dubie, ni inhibitus esset a rege, quippe Hermolaum dicere jussit, petiitque, ut caussas supplicii augentem patienter audirent. Aegre ergo coërcitis, rursus Hermolaus:

Quam liberaliter, inquit, pueris rudibus ad dicendum agere permittis! At Callisthenis vox carcere inclusa est, quia solus potest dicere. Cur enim non producitur, cum etiam confessi audiuntur? nempe, quia liberam vocem innocentis audire metuis ac ne vultum quidem pateris. Atqui nihil cum fecisse contendo. sunt hic, qui mecum rem pulcherrimam cogitaverunt: Nemo est, qui conscium fuisse nobis Callisthenem dicat, cum morti olim destinatus sit a justissimo et patientissimo rege. Haec ergo sunt Macedonum praemia, quorum, ut supervacuo et sordido, abuteris sangvine! At tibi XXX millia mulorum captivum aurum vehunt, quum milites nihil domum, praeter gratuitas cicatrices, relaturi sint. Quae tamen omnia tolerare potuimus, antequam nos barbaris dederes, et novo more victores sub jugum mitteres. Persarum te vestis et disciplina delectat: patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum,

regem occidere voluimus: et te transfugam, belli jure, persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te, ut denm. tu Philippum patrem aversaris, et, si quis deorum ante Jovem haberetur, fastidires etiam Jovem. Miraris, si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus? Quid speramus ex te, quibus, aut insontibus moriendum est, aut, quod tristius morte est, in servitute vivendum? Tu quidem, si emendari potes, multum mihi debes. ex me enim scire coepisti, quod ingenui homines ferre non possunt. De cetero parce quorum orbam senectutem supliciis ne oneraveris. Nos jube duci, ut, quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra.

9.

ORATIO

ALEXANDRI AD MILITES.

Ex lib. IX. cap. II.

ARGUMENTUM.

Alexander, longa jam terrarum spatia vincendo emensus, nondum tamen ad metam adspiraverat, quam laboribus suis proposuerat, et plura animo erat complexus. Habebat enim in animo, non prius conquiescere, quam ad Oceanum Indicum victor pervenisset, ut idem limes suas victorias et orbem terrarum definiret. Sed sciebat, non esse eundem animum suis: neque id illi obscure ferebant. Non ignorabat, quin eos taedium laboriosae et tam diuturnae militiae cepiset. Itaque relanguescentes animos conatur hac oratione instaurare et revocare. Commemorat res gestas: prae his reliquias, quae supersint, nihili esse faciendas, ostendit. Vix aliud restare, nisi, ut reliquias suarum

victoriarum persequatur. Labores, qui adeundi relinquantur, esse breves et leves: praemia vero amplissima et perpetua. Ad extremum, quum videret eos penitus despondisse animos, nec ullam vocem mittere, testem suae comprobationis vehementi utitur querela, qua suorum ignaviam incusat.

Non ignoro, milites, multa, quae terrere vos possent, ab incolis Indiae per hos dies de industria esse jactata. Sed non est improvisa vobis mentientium vanitas. Sic Ciciliae fauces, sic Mesopotamiae campos, Tigrim et Euphratem, quorum alterum vado transivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Persae. Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia, illa tradente, majora sunt vero. Nostra quoque gloria, cum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis. Modo quis belluas offerentes moenium speciem, quis Hydaspen amnem, quis cetera, auditu majora, quam vero, sustinere posse credebat? Olim, hercule, fudissemus ex Asia, si nos fabulae debellare potuissent. Creditis ne elephantorum greges majores esse, quam usquam armentorum sunt? cum et rarum sit animal, nec facile capiatur, multoque difficilius mitigetur? Atqui, eadem vanitas copias, peditum, equitumue numeravit. Nam flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat; quippe angustis ripis coërcita, et in angustiorem alveum elisa, torrentes aquas invehunt? contra spatio alvei seguior cursus est. Praeterea, in ripa omne periculum est, ubi applicantes navigia hostis exspectat. Ita, quantumcunque flumen intervenit,, idem futurum discrimen est evadentium in terram. Sed omnia ista vera esse fingamus. utrum ne vos magnitudo belluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad elephantos, praesens habemus exemplum: in suos vehementius, quam in nos incurrerunt. Tam vasta corpora securibus, falcibusque mutilata sunt. Quid autem interest, totidem sint, quot Porus habuit, an tria millia? cum, uno aut altero vulneratis, ceteros in fugam declinare videamus? Inde paucos quoque incommode regunt:

congregata vero tot millia ipsa se elidunt, ubi nec stare, nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. Equidem sic animalia ipsa contemsi, ut, cum haberem, ipse non opposuerim, satis gnarus, plus suis, quam hostibus periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commovet. Cum paucis enim pugnare soliti estis, et nunc primum inconditam sustinebitis turbam. Testis adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis, et Cilicia inundata cruore Persarum, et Arbela, cujus campi devictorum a nobis ossibus strati sunt. Sero hostium legiones numerare coepistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. Cum per Hellespontum navigaremus, de paucitate nostra cogitandum fuit. Nunc nos Scythae sequuntur, Bactriana auxilia praesto sunt, Dahae, Sogdianique inter nos militant. Nec tamen illi turbae confido. Vestras manus intueor: vestram virtutem, rerum, quas gesturus sum, vadem praedemque habeo. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec meos, nec hostium exercitus numeravero. Vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciae adhibete. Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus. Pervenimus ad solis ortum et Oceanum, nisi obstat ignavia; inde victores, perdomito fine terrarum, revertemur in patriam. Nolite, (quod pigri agricolae faciunt,) maturos fructus per inertiam amittere e manibus. Majora sunt periculis praemia. dives eadem et imbellis est regio. Itaque, non tam ad gloriam vos duco, quam ad praedam. Digni estis, qui opes, quas illud mare litoribus invehit, referatis in patriam. digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis. Per vos, gloriamque vestram, qua humanum fastigium exceditis, perque, et mea in vos, et in me vestra merita, quibus invicti contendimus, oro, quaesoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem, alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. Caetera vobis imperavi, hoc unum debiturus sum. Et is vos rogo, qui nihil unquam vobis praecepi, quin primus me

periculis obtulerim, qui saepe aciem clypeo meo texi, ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem, Liberumque patrem, si invidia abfuerit, aequabo. Date hoc precibus meis, et tandem obstinatum silentium rumpite. Ubi est ille clamor, alacritatis vestrae index? Ubi ille meorum Macedonum vultus? non agnosco vos milites, nec agnosci videor a vobis. Surdas jamdudum aures pulso. auersos animos et infractos excitare conor.

Cumque illi in terram, dimissis capitibus, tacere perseverarent:

Nescio, quid, inquit, imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis. In solitudine mihi videor esse. Nemo respondet, nemo saltem negat. Quos alloquor? Quid autem postulo? vestram gloriam et magnitudinem vindicamus. Ubi sunt illi, quorum certamen paullo ante vidi contendentium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? Desertus, destitutus sum, hostibus deditus. Sed solus quoque ire perseverabo. Obiicite me fluminibus et belluis, et illis gentibus, quarum nomina horretis. Inveniam, qui desertum a vobis sequantur, Scythae, Bactrianique erunt mecum, hostes paullo ante, nunc milites nostri. Mori praestat, quam precario imperatorem esse. Ite reduces domos, ite deserto rege ovantes. Ego hic a vobis desperatae victoriae aut honestae morti, locum inveniam.

10.

ORATIO
COENI AD ALEXANDRUM.

Ex lib. IX. cap. III.

ARGUMENTUM.

Consternata concione ad proximam Alexandri orationem, et pertinaciter tacente, quod nec adsentiri regi vellent, nec praecise denegare auderent, nec ullus communem caussam publice susciperet, Coenus, unus ducum, processit in medium, et regem omnium verbis rogavit, ut parceret defatigationi et imbecillitati omnium suorum, qui tot laboribus exhausti non possent militiae molestias tolerare: praesertim, cum se infinitus osterderet labor, si ea loca peteret. Servire illum suae gloriae non posse incolumi exercitu, quem tot annorum difficultates attrivissent.

Dii prohibeant a nobis impias mentes; et profecto prohibent. Idem animus est tuis, qui fuit semper, ire, quo jusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum nomen. Proinde, si perseveras, inermes quoque, et nudi, et exsangves, utcumque tibi cordi est, sequimur, vel antecedimus. Sed, si audire vis non fictas tuorum militum voces, verum necessitate ultima expressas, praebe, quaeso, propitias aures, imperium atque auspicium tuum constantissime secutis, et quocunque pergis secuturis. Vicisti, rex, magnitudine rerum, non hostes modo, sed etiam milites Quidquid mortalitas capere poterat, implevimus. Emensis maria terrasque, melius nobis, quam incolis, omnia nota sunt. Paene in ultimo mundi fine consistimus: in alium orbem paras ire, et Indiam

quaeris, Indis quoque ignotam: inter feras serpentesque degentes eruere ex latebris et cubilibus suis expetis, ut plura, quam sol videt, victoria lustres. Digna prorsus cogitatio animo tuo, sed altior nostro. Virtus enim tua semper in incremento erit: nostra vis in fine iam est. Intuere corpora exsangvia, tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt, iam arma deficiunt. Vestem Persicam induimus, quia domestica subvehi non potest. in externum degeneravimus cultum. Quotocuique lorica est? quis equum habet? Iube quaeri, quam multos servi ipsorum persecuti sint, quid cuique supersit ex praeda. Omnium victores, omnium inopes sumus. nec luxuria laboramus, sed belli instrumenta belli consumsimus. hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obiicies belluis, quarum, ut multitudinem augeant de industria barbari: magnum tamen esse numerum, etiam ex mendacio intelligo. Quod si adhuc penetrate in Indiam certum est, regio a meridie minus vasta est. Qua subacta, licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum voluit esse natura. Cur circuitu petis gloriam, quae ad manum posita est? Hic quoque occurrit Oceanus. nisi mavis errare, pervenimus, quo tua fortuna ducit. Haec tecum, quam sine te, cum his loqui malui, non ut inirem circum exercitus gratiam, sed ut vocem loquentium potius, quam, ut gemitum murmurantium audires.

III.

LOCI MORALES

I.

EX M. T. CICER. LIB. DE OFFICIIS ET SENECTUTE.

1. *Officia adolescentum, senum, hominumque variae conditionis.*

Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur, aliaque sunt iuvenum, alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicendum est.

Est igitur adolescentis, majores natu vereri, ex hisque eligere optimos, et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. inexpertis enim aetatis inscitia, senum constituenda et regenda prudentia est.

Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore, patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis, et civilibus officiis vigeat industria.

Atque etiam, cum relaxare animos, et dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae: quod erit facilius, si ejusmodi quoque rebus majores natu interesse velint.

Senibus autem labores corporis sunt minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur: danda vero opera, ut amicos, et juventutem, et maxime rempublicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent.

Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori, disidiaeque se dedat. Luxuria vero cum omni aetati

turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem et libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentum impudentiorem intemperantiam.

Ac ne illud quidem alienum est de magistratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum officiis dicere.

Est igitur proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura describere, ea fidei suae commissa meminisse.

Privatum autem oportet aequo, et pari cum civibus jure vivere, neque summissum, et abiectum, neque se efferentem; tum in republica ea velle, quae tranquilla et honesta sint. talem enim et sentire, et bonum civem dicere solemus.

Peregrini autem, et incolae officium est, nihil, praeter suum negotium, agere, nihil de alio inquirere, minimeque in aliena esse republica curiosum.

Ita fere officia reperientur, cum quaeretur, quid deceat, et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus.

2. *Qualis debeat esse sermo.*

Magna vis orationis est, eademque duplex, altera contentionis, altera sermonis: contentio disceptationibus tribuatur judiciorum, concionum senatus: sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarum versetur, persequatur etiam convivia. Contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis. quanquam haud scio, an possint haec quoque esse.

Sed discentium studiis inveniuntur magistri: huic autem qui studeant, sunt nulli: rhetorum turba referta omnia, quanquam, quae verborum, sententiarumque praecepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt.

Sed cum orationis iudicem vocem habeamus; in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis: utrumque omni-

no a natura petendum est; verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentum, et leniter.

Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito judicio putares, uti litterarum, quanquam erant literati; sed et alii. hi autem optime uti lingua latina putabantur. Sonus erat dulcis: litterae neque expressae, neque oppressae, ne aut obscurum esset, aut nimis putidum, sine contentione vox nec languens, nec canora.

Uberior oratio L. Crassi, nec minus laceta: sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale vero conditus et facetiis Caesar, Catuli patris frater, vicit omnes: ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret. In omnibus igitur his elaborandum est, si in omnibus, quod deceat, exquirimus.

Sit igitur hic sermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis, minimeque pertinax: insit in eo lepos, nec vero, tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios: sed, cum reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudine nonnunquam utendum putet.

Ac imprimis provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus; quod maxime tum solet evenire, cum studiose de absentibus, detrahendi causa, aut perridiculum, aut severe, maledice, contumelioseque dicitur.

Habentur plerumque sermones aut de domesticis negotiis, aut de republica, aut de artium studiis et doctrina. danda igitur opera est, ut, etiam si aberrare ad alia coeperit, ad haec revocetur oratio.

Sed utcunque aderunt res. neque enim iisdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur. Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habet, et, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.

Sed, quomodo in omni vita rectissime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi

non obtemperantes: sic ejusmodi motibus sermo debet vacare: ne aut ira exsistat, aut cupiditas aliqua, aut pirgitia aut ignavia, aut quid tale appareat.

Maxime curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferimus, et vereri et diligere videamur.

Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariae: in quibus utendum est fortasse et vocis contentione majore, et verborum gravitate acriore. id agendum etiam, ut ea facere ne videamur irati.

Sed, ut ad urendum et secandum, sic nos ad hoc genus castigandi raro, invitique veniamus, nec unquam nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina: sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri nihil considerate potest.

Magna autem parte, clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut severitas adhibeatur, et contumelia repellatur.

Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet objurgatio, significandum est, ipsius causa, qui objurgetur, susceptum esse. Rectum est autem, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimus fiunt, etiam si nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere, quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea neque constanter fieri possunt, nec ab iis, qui adsunt, approbari.

Deforme etiam est, de se ipso praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum.

6. *Vera gloria.*

Praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset.

Quod si qui simulatione, et inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant.

Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt: nec simulatum potest quidquam esse diuturnum.

Testes sunt permulti in utramque partem: sed, brevitatis causa, familia erimus contenti una.

Tiberius Craccus, P. filius, tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probabantur bonis, et mortui numerum obtinent jure caesorum.

Qui igitur adipisci veram justitiae gloriam volet, justitiae fungatur officiis. ea, quae essent, dictum est in superiore libro.

Sed ut facillime, quales simus, tales esse videamur: etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus: tamen quaedam praecepta danda sunt.

Nam si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis, aut a patre acceptam, quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse, aut aliquo casu atque fortuna: in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eo, quid agat, quemadmodum vivat, inquiritur: et, tanquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse nec factum.

Quorum autem prima aetas, propter humilitatem et obscuritatem, in hominum ignoratione versatur, hi simul ac juvenes esse coeperunt, magna spectare, et ad ea rectis studiis debent contendere, quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur huic aetati, verum etiam favetur.

Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest: in qua multi apud majores nostros exstiterunt, semper enim bella gerebantur.

Tua autem aetas incidit in id bellum, cujus altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis parum.

Quo tamen in bello, cum te Pompejus alae alteri praefecisset, magnam laudem et a summo viro, et ab exercitu con-

sequebare. equitando, jaculando, omni militari labore tolerando, atque ea quidem tua laus pariter cum republica cecidit.

Mihi autem haec oratio suscepta, non de te est, sed de genere toto. quamobrem ad ea, quae restant, pergamus.

Ut igitur in reliquis rebus multo majora sunt opera animi, quam corporis, sic eae res, quas ingenio ac ratione persequimur, gratiores sunt, quam illae, quas viribus.

Prima igitur commendatio proficiscitur a modestia, tum pietate in parentes, tum in suos benevolentia.

Facillime autem et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros, bene consulentes reipublicae contulerunt. quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum.

P. Rutilii adolescentiam ad opinionem et innocentiae et juris scientiae P. Mucii commendavit domus.

Nam L. quidem Crassus, cum esset admodum adolescens, non abunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa.

Et qua aetate, qui exercentur, laude affici solent: ut de Demosthene accepimus: ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime jam praemeditatum facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.

4. *Utilitatis communis ratio habenda.*

Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unuscujúsque, et universorum: quam si quisque ad se rapiat, dissolvetur omnis humana consortio.

Atque, si etiam hoc natura praescribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam tamen, quod is homo sit, consultum velit: necesse est, secundum eam naturam, omnium utilitatem esse communem. quod si ita est, una continemur omnes et eadem lege naturae, idque ipsum si ita es

certe, violare alterum, lege naturae prohibemur. verum autem primum; verum igitur et extremum.

Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se, aut fratri nihil detracturos, commodi sui causa: aliam rationem esse civium reliquorum: hi sibi nihil juris, et nullam societatem communis utilitatis causa statuunt esse cum civibus: quae sententia omnem societatem distrahit civitatis.

Qui autem civium rationem dicunt esse habendam, externorum negant: hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur. quae qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt. ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt:

Cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere, sui commodi causa, quam omnia incommoda subire, vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quae vacent justitia. haec enim virtus omnium est domina et regina virtutum.

5. *Officia amicorum.*

Amicitiis et non tribuere, quod recte possis: et tribuere, quod non sit aequum, contra officium est. Sed hujus generis totius breve, et non difficile praeceptum est.

Quae enim videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, et cetera generis ejusdem haec amicitiae nunquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra jusjurandum ac fidem, amici sui causa, vir bonus faciet: nec si judex quidem erit de ipso amico. ponit enim personam amici, cum induit judicis.

Tantum dabit amicitiae, ut veram amici causam esse malit: ut perorandae litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum vero jurato dicenda sententia sit, meminerit

Deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus divinius,

Itaque praeclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, si eum teneremus, quae salva fide facere possit. haec rogatio ad ea pertinet, quae paulo ante dixi honeste amico judice posse concedi.

Nam, si omnia facienda sint, quae amici velint non amicitiae tales, sed conjurationes putandae sunt. Loquor autem de communibus amicitiis. nam in sapientibus viris, atque perfectis nihil potest esse tale.

Damonem, et Pythiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius Tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa, postulavisset, uas factus sit alter ejus sistendi: ut si ille non revertisset, moriendum esset sibi ipsi, qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem Tyrannus, petivit, ut se in amicitiam tertium adscriberent.

Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur: jaceat utilitatis species, valeat honestas.

Cum autem in amicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur; religio et fides anteponantur amicitiae: et sic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

6. *Valetudo et morbi.*

1. Sanus homo, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis obligare se legibus medicorum debet. Hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Nam ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigi-

dis uti, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; bis die potius, quam semel cibum capere, et semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat.

2. At imbecillis (quo in numero magna pars urbanorum omnesque paene cupidi litterarum sunt) observatio maior necessaria est. Ex his igitur, qui bene concoxit, mane tuto surget: qui parum, quiescere debet: qui non concoxit, et toto conquiescere, ac neque labori se neque exercitationi credere; habitare vero aedificio lucido, perflatum aestivum, hibernum solem habente. cavere meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus. Ubi experrectus est aliquis, paulum intermittere, deinde, nisi hiems est, fovere os multa aqua frigida debet. Quem interdiu vel domestica vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum curationi corporis sui est. Prima autem ejus curatio exercitatio est, quae semper antecedere cibum debet: in eo, qui assuetus est, et minus concoxit, amplior. Commode vero exercent clara lectio, pila, cursus, ambulatio, atque haec non utique plana commodior est: siquidem melius ascensus et descensus cum quadam varietate corpus moveat, nisi tamen id perquam imbecillum est. Melior autem est ambulatio sub divo quam in porticu: melior recta, quam flexuosa. Exercitationis plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo: idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est.

3. Post exercitationem paulum conquiescere opus est. Ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas, saepe inutilis nimia abtinentia. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam et plus propter dulcedinem assumitur, et, quod modo par est, tamen aegrius concoquitur. Post satietatem nihil agendum. Ubi expletus est aliquis, facilius. concoquit, si, quidquid assumsit, potione aquae frigidae includit.

4. Periclitatur et qui semel, et qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit. Item neque post nimium laborem subitum otium, neque post nimium otium subitus labor sine gravi noxa est. Ergo, quum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assvescere. Atque ideo quoque nimis otiosa vita, utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas. Illud quoque nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio perniciosissima est, atque etiam, quum sudor remisit, itinere fatigatis inutilis. Levat lassitudinem etiam laboris mutatio. Qui toto die sedit, huic nihil currendum, sed lente ambulandum est.

5. Extenuat corpus aqua calida, omnis calor, cura, vigilia, somnus nimium vel brevis vel longus, cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidae res et austerae, et semel in die assumtae epulae. Purgationes interdum necessariae sunt, sed ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus, et ob hoc infirmum erit, quum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit.

6. Tempus quoque anni considerare oportet. Hieme plus esse convenit, minus bibere; at vere paulum cibi demendum adjiciendumque potioni. Aestate vero et potione et cibo saepius corpus eget. Per autumnum vero propter coeli varietatem periculum maximum est. Itaque neque sine veste neque sine calceaminis prodire oportet, praecipueque diebus frigidioribus, neque sub divo noctu dormire, aut certe bene operiri. Poma nocere quidam putant. At non haec, sed consummatio omnium nocet. In nullo tamen minus quam in his noxa est.

7. Cui caput infirmum est, is, si bene concoxit, leniter perfricare id manibus suis debet, capillos quotidie pectere, multum ambulare, sed, si licet, neque sub tecto, neque in sole: utique autem vitare solis ardorem, maximeque post cibum. Capiti nihil aeque prodest atque aqua frigida. Itaque is,

cui hoc infirmum est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu subjicere. Huic modicus cibus neceſſarius est, quem facile concoquat. Scribere, legere, voce contendere post coenam non debet, post quam ne cogitatio quidem ei satis tuta est. Neque vero his solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquae frididae prodest, sed iis etiam, quos assiduae lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillaeque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum; sed os quoque multa fridida aqua fovendum est.

8. Quem frequenter cita alvus exercet, huic opus est pila similibusque superiores partes exercere; dum jejunus est, ambulare, vitare solis nimium ardorem, non uti cibis variis, minimeque jurulentis, omnia denique sumere, quae tarde concoquuntur. Si frigidae potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potissimum est. Semper post cibum conquiescere debet, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimoveri. — Si quis stomacho laborat, legere clare debet, post lectionem ambulare, tum pila aliove genere, quo superior pars moveatur, exerceri; non aquam, sed vinum calidum bibere jejunus; cibum bis die assumere, sic tamen, ut facile concoquat; uti vino tenui et austero, et post cibum frigidis potionibus potius. Stomachum autem infirmum indicant pallor, macies, praecordiorum dolor, navsea et nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis. Quae in quo non sunt, is firmi stomachi est.

9. Aliae res boni succi, aliae mali sunt: aliae lenes, aliae acres: aliae crassiorem pituitam in nobis faciunt, aliae tenuiorem; aliae idoneae sunt stomacho, aliae alienae; itemque aliae inflant, aliae ab hoc absunt; aliae calefaciunt, aliae refrigerant; aliae facile intus corrumpuntur; quaedam somnum movent, quaedam sensus excitant.

10. Stomacho apta sunt, quaecunque austera sunt, et quae acida, quaeque contacta sale modico sunt. Item panis

sine fermento, alica, vel oryza, vel ptisana, omnis avis, omnis venatio, atque utraque vel assa vel elixa: ex domesticis animalibus bubula; si quid ex ceteris sumitur, macrum potius quam pingue. Aliena vero stomacho sunt omnia tepida, omnia salsa, omnia jurulenta, omnia praedulcia, omnia pinguia. Ex his intelligi potest, non, quidquid boni succi est, protinus stomacho convenire, neque, quidquid stomacho convenit, protinus boni succi esse.

2.

LOCI MORALES, PROOEMIA.

1. *Ex Ciceronis libro II de natura Deorum.*

Deus ex operibus naturae cognoscendus.

Praeclare Aristoteles, si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis, atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram; accepissent autem fama et auditione, esse quoddam Numen, et vim Dei; deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram, et maria, coelumque vidissent; nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, adspexissentque solem, ejusque tum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto coelo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem, tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus, atque in omni aeternitate ratos, immutabiles-

que cursus: haec cum viderent, profecto et esse Deum, et haec tanta opera Dei esse arbitrarentur.

Atque haec quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantae quondam eruptione Aetnaeorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret: cum autem tertio die sol illuxisset, tum ut revixisse sibi viderentur. Quodsi hoc idem ex aeternis tenebris contingeret, ut subito lumen aspiceremus: quaenam species coeli videretur? Sed assiduitate quotidiana, et consvetudine oculorum allanescunt animi: neque admirantur, neque requiruntur rationes earum rerum, quas semper vident: proinde quasi novitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare.

Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? an cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis? cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute, et conservatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Licet enim jam, remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas. Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida, et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis corglobata, vestita floribus, herbis, arboribus frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates. Liquoresque pellucidos omnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines,

saxorum asperitates, impendentium montium altitudines immensitatesque camporum; adde etiam, reconditos auri argentique que venas, infinitamque vim marmoris. Quae vero et quam varia genera bestiarum. vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus atque cantus? qui pecudum pastus? quae vita silvestrium? quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari: quorumque operibus agri, insulae, litoraque colluent; distincta tectis et urbibus. Quae si, ut animis, sic oculis uidere possemus, nemo conclam intuens terram de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris est pulchritudo! quae species universi! quae multitudo et varietas insularum! quae amoenitates orarum et litorum! quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innatantium beluarum, partim ad saxa natuis testis inhaerentium! ipsum autem mare sic terram appetens littoribus allidit, ut una ex duabus naturis conflata videatur.

Exinde mari finitimus aer die et nocte distinguitur; isque tum fusus et extenuatus in sublime fertur; tum autem concretus, in nubes cogitur: humoremque colligens terram auget imbribus; tum effluens huc et illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum, et calorum facit varietates: idemque et volatus alitum sustinet, et spiritu ductas alit, et sustentat animantes.

Providentia Dei circa stirpes, multa animantia. ibid.

Age, ut a coelestibus rebus ad terrestres veniamus: quid est in his, in quo non naturae ratio intelligentis appareat? principio eorum, quae gignuntur e terra, stirpes et stabilitatem dant iis, quae sustinent, et ex terra succum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur: obducunturque libro, aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores.

Jam vero vites sic clavículis adminicula, tanquam manibus, apprehendunt, atque se ita erigunt. ut animantes Quin etiam a caulibus brassicisque, si prope sati sunt, ut a pestiferis et nocentibus refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere.

Animantium vero quanta varietas est? Quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae: pluma alias, alias squamma videmus obductas, alias esse cornibus armatas; alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus est, comparavit. Enumerare possum ad eum pastum capessendum conficiendumque, quae sit in figuris animantium, et quam solers, subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quae quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura belluis et sensum et appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando; cibumque partim oris hiatu, et dentibus ipsis capessunt partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum; alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibus terrestre rostris facile contingant. Quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut cameli; adjuvantur proceritate collorum. Manus etiam data elephantis quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum. At quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque solertia; ut in araneolis, aliae quasi rete texunt, ut si quid inhaserit, conficiant; aliae autem ut ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt, idque consumunt. Pinna vero (sic enim Graece dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parva squilla

quasi societates coit comparandi cibi. Itaque cum pisciculi parvi in concham hiantem innataverint, tum admonita a squilla pinna morsu compimit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur.

Providentia Dei in opportunatibus quibusdam naturalibus.

Magnae etiam opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam, aliae aliis in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat, et, cum tota aestate obrutam, oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates; in quam quotannis quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat et mitigat; sed eos etiam conserit: magnam enim vim seminum secum frumenti similium dicitur deportare. Multaque alia in aliis commemorabilia proferre possum, multos fertiles agros, alios aliorum fructuum. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tam multa ad vescendum, tam varia, tamque jucunda gignit? neque ea uno tempore anni: ut semper et novitate delectemur et copia. Quam tempestivos autem dedit, quam salutares non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quae oriuntur e terra, ventos Etesias? quorum flatu nimii temperantur calores: ab iisdem etiam maritimi cursus celeres, et certi diriguntur. Multa praetereunda sunt, et tamen multa dicuntur. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates; aestus maritimi, tum accedentes, tum recedentes; montes vestiti atque silvestres; salinae ab ora maritima remotissimae; medicamentorum salutarium plenissimae terrae; artes denique innumerabiles, ad victum et ad vitam necessariae. Jam diei noctisque vicissitudo conservat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.

Quinque sensus hominum.

Ad hanc providentiam naturae tam diligentem, tamque solertem adjungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantae res hominibus a Deo, quanque eximiae tributae sint, qui primum eos humi excitatos, celsos, et erectos constituit, ut Dei cognitionem, coelum intuentes capere possent. Sunt enim e terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superorum rerum atque coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores, altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporis partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt, et quod cibi et potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Jam gustus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in aedificiis Architecti avertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quae profluentia necessario tetri esse aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit a sensibus.

Quis vero opifex, praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus; quae primum oculos membranis tenuissimis vestivit, et sepsit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, si quid noceret: et aspectum, quo vellent, facile converterent. Aciesque ipsa, qua cernimus, quae pupula

vocatur, ita parva est, ut ea, quae nocere possint facile vitet. Palpebraeque, quae sunt tegumenta oculorum, mollissimae tacto, ne laederent aciem, aptissime factae, et ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad aperiendas: idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitaeque sunt palpebrae tanquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, et somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egremus, ut qui tanquam involuti, quiescerent. Latent praeterea utiliter, et excelsis undique partibus sepiuntur. Primum enim superiora superciliis obducta, sudorem a capite et a fronte defluentem, repellunt. Genae denique ab inferiore parte tutantur subjectae, leviterque eminentes. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur.

Auditus autem semper patet; ejus enim sensu etiam dormientes egemus: a quo cum sonus est acceptus, etiam e somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret. Provisum etiam, ut, si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco, inhaerescerct. Extra autem eminent, quae appellantur aures; et tegendi causa factae, tutandique sensus; et ne adjectae voces laberentur, atque errarent, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros, et quasi corneolos habent introitus; multisque cum flexibus, quod his naturis, relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur, aut cornu: et ex tortuosis locis et inclusis referantur ampliores. Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus; ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere: humoremque semper habent ad pulverem, multaque alia depellenda non inutilem. Gustus praeclare septus est: ore enim continetur, et ad usum apte, et ad incolumitatis custodiam.

2. *Ex libro II de Finibus.*

Voluptas non est finis bonorum.

Nos, si quidem in voluptate sint omnia, longe multumque superamur a bestiis: quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios, varieque abundantes, nihil laborantibus: nobis autem aut vix, aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis bonum, et hominis idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis? quid tanto concursu honestiorum studiorum? tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem nisi ad voluptatem conquiruntur? Ut, si Xerxes cum tantis classibus, tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto juncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terramque navigasset, si cum tanto impetu in Graeciam venisset, causam ejus quis ex eo quaereret tantarum copiarum, tantique belli; mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret; certe sine causa videretur tanta conatus: sic nos sapientem plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum, non, ut illum, maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne coelum totamque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis caussa dicemus tanta molitum.

Ad altiora quaedam, et magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus: nec id ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium, et ea quidem infinita; inest conjectura consequentium, non multum a divinatione differens; inest moderator cupiditatis pudor; inest ad humanam societatem justitiae fida custodia; inest in perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque contemptio. Ergo haec in animis. Tu autem etiam membra ipsa sensusque considera: qui tibi, ut reliquae corporis partes, non comites solum virtutum, sed ministri etiam videbuntur.

Quid, si in ipso corpore multa voluptati praeponenda sunt, ut vires, valetudo, velocitas, pulchritudo? Quid tantem in animis censes? in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam coeleste et divinum putaverunt.

3. *Prooem. Lib. III. Tusc. Quaest.*

Cultura mentis.

Quidnam esse, Brute, causae putem, cur, cum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique causa quaesita sit ars, atque ejus utilitas deorum immortalium inventioni consecrata: animi autem medicina nec tam desiderata sit, antequam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? an quod corporis gravitatem et dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non sentimus; ita fit, ut animus de se ipse tum judicet, cum id ipsum, quod judicat, aegroret.

Quod si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce cursum vitae conficere possemus; haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requiret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret.

Nunc autem simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur: ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. Accedant etiam poëtae: qui cum magnam speciem doctrinae sapien-

itaeque pro se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus.

Cum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipsa desciscimus: ut nobis optimam naturam invidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperijs, populari gloria judicaverunt; ad quam fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime inquirit, in summa inanitate versatur; consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res, et expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute: ea virtuti resonat, tanquam imago gloriae. Quae quia recte factorum plerumque comes est, non est a bonis viris repudianda.

Illa autem, quae se ejus imitatricem esse vult, temeraria, atque inconsiderata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit. Qua coecitate homines cum quaedam praeclara etiam cuperent, eaque nescirent nec ubi, nec quaha essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atque hi quidem optima petentes, non tam voluntate, quam cursus errore falluntur.

Quid, qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum libidine ferantur; quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, quod insipientibus contingit omnibus, his nullane est adhibenda curatio? utrum, quod minus noceant animi aegrotationes, quam corporis? An quod corpora curari possint, animorum nulla medicina sit? At et morbi perniciosiores, plures que sunt animi, quam corporis. Hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent, eumque sollicitant; animusque

aeger, ut ait Ennius, semper errat, neque pati, neque perpeti potest: cupere nunquam desinit. Quibus duobus morbis (ut omittam alios) aegritudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviores? Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit? Est profecto animi medicina, philosophia: cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris: omnibusque opibus viribusque, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est.

4. *Ex Parad. VI.*

Solum sapientem esse divitem. In CRASSUM.

Quae est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? solusne tu dives? Pro dii immortales! egone me audivisse aliquid et didicisse, non gaudeam? solusne tu dives? Quid si ne dives quidem? quid si pauper etiam?

Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor, in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit; qui nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim oportet tuus se judicet divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuae: nihil sibi deesse putet, nihil curet amplius. Satiatus est, aut contentus etiam pecunia? concedo, dives es. Sin autem propter auiditatem pecuniae nullum quaestum turpem putas (cum isti ordini ne honestus quidem possit esse illus) si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis; si socios spolias, aerarium expilas; si testamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, atque ipse supponis: haec utrum abundantis, an egentis signa sunt? Animus hominis dives, non arca appellari solet. Quamvis illa sit plena; dumte inanem videbo, divitem non putabo.

Et enim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia est opus;

Duas? majore. Plures? majore etiam. Et si, ut ajunt, Danai quinquaginta sunt filiae, tot dotes magnam quaerunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accomodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaurire possint; hunc quo modo ego appellabo divitem, cum ipse egere se sentiat?

Multi ex te audierunt, cum diceres, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populus Romanus tantis vectigalibus jampridem vix potest. Ergo hoc proposito, nunquam eris dives ante, quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones, et magna equitum ac peditum auxilia possis. Iam fateris igitur non esse te divitem, cui tantum desit, ut expleas id, quod exoptas. Itaque istam paupertatem, vel potius egestatem ac mendicitatem tuam nunquam obscure tulisti.

Nam ut iis, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intellegimus opus esse quaesito; sic, qui videt domi tuae pariter accusatorum atque judicum consolatos greges; qui nocentes et pecuniosos, reos eodem te autore corruptelam judicii molientes; qui tuas mercedum pactiones in patrociniis; intercessiones pecuniarum in coitionibus candidatorum; dimissiones libertorum ad defoenerandas diripiendasque provincias; qui expulsiones vicinorum; qui latrocinia in agris; qui cum servis, cum libertis, cum clientibus societates; qui possessiones vacuas: qui proscriptiones locupletium; qui caedes municipiorum; qui illam Sullani temporis messem recordetur: qui testamenta subjecta; qui sublatos tot homines; qui denique omnia venalia, delectum, decretum, aliena, suam sententiam, forum, domum, vocem silentium: quis hunc non putet confiteri, sibi quaesito opus esse? cui autem quaesito opus sit, quis unquam hunc vere dixerit divitem? est enim divitiarum fructus in copia: copiam autem de-

clarat satietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam nunquam assequere, nunquam omnino es futurus dives.

Meam autem quoniam pecuniam contemnis, et recte, (est enim ad vulgi opinionem mediocris: ad tuam, nulla; ad meam, modica) de me silebo: de te loquar. Si censenda nobis atque aestimanda res sit, utrum tandem pluris aestimabimus, pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat; an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitum, an responsum M. Curii? haereditatem L. Pauli, an liberalitatem Africani, qui ejus haereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit. Haec profecto, quae sunt summarum virtutum, pluris aestimanda sunt, quam illa, quae sunt pecuniae. Quis igitur, si quidem, ut quisque, quod plurimi sit, possideat, ita ditissimus habendus sit, dubitet, quin in virtute divitiae sint? quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti, pluris, quam virtus aestimanda est.

O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia! Venio enim ad sumtuosos: relinquo istum quaestuosum. Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia: ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, et sola marmorea facienti, et signa, tabulas, supellectilem, et vestem infinite concupiscenti, non modo ad sumptum ille est fructus, sed etiam ad foenus, exiguus: ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur est ditior: cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? Cujus possessio quo est major, eo plus requirit ad se tuendam: an quae suis se viribus sustinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse fortasse in hujus seculi errore verser? M. Manilius patrum nostrorum memoria (ne semper Curios et Luscinios loquamur) pauper tandem fuit. Habuit enim aedicolas in Carinis, et fundum in Labicano. Nos igitur ditiores sumus, qui plura habemus? utinam quidem essemus. Sed non aestimatio

ne census, verum victu atque cultu terminatur pecuniae modus. Non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est. Contentum vero suis rebus esse, maximae sunt certissimaeque divitiae.

Et enim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest; quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi, nec surripi potest unquam; neque naufragio, neque incendio amittitur; nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur? qua praediti qui sunt, soli sunt divites.

5. *Ex Somnio Scipionis.*

Rerum fluxarum contemptus. Scipio loquitur.

Cum in Africam venissem, M. Manilio consuli ad quartam legionem (ut scitis) tribunus militum; nihil mihi potius fuit, quam ut Masinissam convenirem, regem, familiae nostrae justis de causis amicissimum. Ad quem ut veni, complexus me senex collacrimavit, aliquantoque post suspexit in coelum: et Grates, inquit, tibi ago, summe sol, vobisque, reliqui coelites, quod ante, quam ex hac vita migro, conspicio in meo regno, et his tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine ipso recreor: ita nunquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria.

Deinde ego illum de suo regno; ille me de nostra republica percontatus est: multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi, de Africano loqueretur, omniaque ejus non solum facta, sed etiam dicta meminisset.

Deinde, ut cubitum dis cessimus, me et fessum de via, et qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod

eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui) Africanus se ostendit illa forma, quae mihi ex imagine ejus, quam ex ipso, erat notior. Quem ut agnovi, equidem cohorrui.

Sed ille, Ades, inquit, animo, et omitte timorem, Scipio, et quae dicam, trade memoriae. Videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere (ostendebat autem Carthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis prope miles? hanc hoc biennio Consul evertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes ex nobis adhuc hereditarium. Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum absens Cos. bellumque maximum conficies; Numantiam exstindes.

Sed cum eris curru Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii, consiliique tui. Sed ejus temporis anceps me video quasi fatorum viam. Nam cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit, duoque hi numeri (quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur) circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint; in te unum, atque in tuum nomen, se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii; te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; ac, ne multa, Dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris.

Hic cum exclamasset Laelius, ingemuissentque ceteri vehementius: leniter arridens Scipio, Quaeso, inquit ne me a somno excitetis, et pax sit rebus: audite cetera.

Sed quo sis, Africane, alacrior ad adtutandum rempublicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in coelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruuntur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem interris fiat, acceptius, quam consilia coetusque hominum jure sociati, quae civitates appellantur: harum rectores et conservatores hinc profecti, huc revertuntur.

Hic ego, etsi eram perterritus, non tam metu mortis, quam insidiarum a meis, quaesivi tamen, viveretne ipse pater Paulus, et alii, quos nos exstinctos arbitramur. Immo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere, evolaverunt: vestra vero, quae dicitur vita, mors est. Quin tu aspicias ad te venientem Paulum patrem. Quem ut vidi, equidem vim lacrymarum profudi. Ille autem me amplexus atque osculans, flere prohibebat.

Atque ego ut primum, fletu represso, loqui posse coepi; Quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quando haec est vita (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non est ita, inquit ille. Nisi enim Deus is, cujus hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberavit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, qui dicitur terra. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis. Nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est: ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut auus hic tuus, ut ego, qui te genui, justitiam cole, et pietatem: quae, cum sit magna in parentibus, et propinquis, tum in patria maxima est. Ea vita via est in coelum, et in hunc coetum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. Erat autem is splen-

didissimo candore inter flammas elucens circulus, quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis: ex quo omnia mihi contemplanti, praeclara cactera et mirabilia videbantur. Erant autem eae stellae, quas nunquam ex hoc loco vidimus: et eae magnitudines omnium, quas esse nunquam suspicati sumus: ex quibus erat illa minima, quae ultima coelo, citima terris, luce lucebat aliena. Stellarum autem globi terrae magnitudinem facile vincebant. Jam vero ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, poeniteret.

Quam cum magis intuerer, quaeso inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? Nonne adspicis, quae in templa veneris? Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, Quis hic, inquam, quis est, qui complet aures meas, tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui impulsu et motu ipsorum orbium conficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt. Hoc sonitu oppletae aures obsurduerunt: nec est ullus hebetior sensus invobis. Sicut, ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus, ea gens quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint: sicut intueri solem nequitis adversum, ejusque radiis acies vestra sensusque vincitur.

Haec ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem, Tum Africanus, sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum: quae si tibi parua (ut est) ita videtur, haec coelestia semper spectato: illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi poteo? Vides habitari interra raris et angustis in locis: et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas: hosque, qui incolunt

terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit; sed partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos stare vobis: a quibus expectare gloriam certe nullam potestis. Cernis autem terram eandem, quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis: e quibus duos maxime inter se diversos, et coeli vertibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides: medium autem illum et maximum solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles: quorum australis ille, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus. Hic autem alter subjectus aquiloni, quem incolitis, cerne, quam uos tenui parte contingat. Omnis enim terra, quae colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine, quam sit parvus, vides.

Ex his ipsis cultis notisque terris, num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel ipsum Gangem transnare? quis in reliquis Orientis aut abeuntis solis ultimis, aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit.

Ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam diu loquentur? Quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unius cujusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus.

Quid autem interest, ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint; qui nec pauciores, et certe meliores fuerunt viri? cum praesertim apud eos ipsos, a quibus nomen nostrum potest audiri, nemo unius magni anni memoriam consequi possit.

Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris; quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur alte spectare si voles, atque hanc sedem et aeternam domum contueri; neque sermonibus vulgi dederis te, nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum. Suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipsi videant: sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit: et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur.

Quae cum dixisset, ego vero, inquam, o Africane, si quidem bene meritis de patria quasi limes ad coeli aditum patet, quanquam a pueritia vestigiis ingressus patriis et tuis, decori vestro non defui: nunc tamen, tanto praemio proposito, enitar multo vigilantius. Et ille, Tu vero enitere, et sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma ista declarat: sed mens cujusque, is est quisque; non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scio esse; si quidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui praevidet, qui tam regit et moderatur, et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum princeps ille Deus, et ut ipsum mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.

Hanc tu exercere in optimis rebus. Sunt autem hae optimae curae, de salute patriae: quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit: idque ocyus faciet, si jam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsaque libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum jura violaverunt, corporibus elapsi circum

terram ipsam volutantur: nec in hunc locum, nisi multis exagitati seculis, revertuntur.

Ille discessit: ego somno solutus sum.

6. *Prooemium Libri de Claris Oratoribus.*

In Mortem Hortensii.

Cum e Sicilia decedens, Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium majorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso, cum consvetudine jucunda, tum multorum officiorum conjunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegii diminutam dolebam: qua in cogitatione, et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo juratus judicium dignitatis meae fecerat, et inaugurarum ab eodem; ex quo, augurum institutis, in parentis cum loco colere debebam. Augebat etiam molestiam, quod magna sapientium civium bonorumque penuria, vir egregius conjunctissimusque mecum, consiliorum omnium societate, alienissimo reipublicae tempore exstinctus, et autoritatis, et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, et consortem gloriosi laboris amiseram. Etenim, si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poetas nobiles poetarum aequalium morte doluisse: quo tandem animo ejus interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? cum praesertim non modo nunquam sit, aut illius a me cursus. impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adjutus, et communicando, et monendo, et favendo.

Sed, quoniam perpetua quadam felicitate usus ille, cessit e vita, suo magis, quam suorum civium tempore, et tum occidit, cum lugere facilius rempublicam posset, si viveret, quam

juvare; vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse, doleamus: illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius, quam misericordia prosequamur, ut, quociescunque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius, quam nosmetipsos, diligere videamur. Nam si id dolemus, quod eo jam frui nobis non licet, nostrum est id malum, quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur. Sin, tanquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur; summam ejus felicitatem non satis grato animo interpretamur. Etenim si viveret Q. Hortensius, caetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis, et fortibus civibus: hunc autem et praeter caeteros, aut cum paucis sustineret dolorem, cum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, et Romanis Graecisque auribus digna, spoliatum, atque orbatum videret.

Equidem angor animo, non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis agere rempublicam, quae didiceram tractare, quibusque me assueferceram, quaeque erant propria cum praestantis in republica viri, tum bene moratae, et bene constitutae civitatis. Quod si fuit in republica tempus ullum, cum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auteritas, et oratio; tum profecto fuit, cum patrocinium pacis exclusum est aut errore hominum aut timore. Ita nobismetipsis accidit, ut, quanquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quod, quo tempore aetas nostra, perfuncta rebus amplissimis, tanquam in portum confugere deberet, non inertiae, neque desidiae, sed otii moderati, atque honesti, cumque ipsa oratio jam nostra canesceret; haberetque suam quandam maturitatem, et quasi senectutem; tum arma sunt ea sumta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. Itaque ii mihi videntur fortunate beateque vixisse, cum in caeteris

civitatibus, tum maxime in nostra, quibus cum autoritate, rerumque gestarum gloria, tum etiam sapientiae laude perfrui licuit. Quorum memoria et recordatio in maximis nostris gravissimisque curis jucunda sane fuit, cum in eam nuper ex sermone quodam incidissemus.

Nam cum inambularem in xysto, et essem otiosus domi, M. ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines cum inter se conjuncti, tum mihi ita cari, itaque jucundi, ut eorum adspectu omnis, quae me angebat de republica, cura consederit. Quos postquam salutavi, quid vos, inquam, Brute, et Attice, nunc; quid tandem novi? Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis, aut ego pro certo dicere audeam. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de republica esset silentium, et aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia. Vos vero, inquam, Attice, et praesentem me cura levatis, et absenti magna solatia dedistis: nam vestris primum literis recreatus, me ad pristina studia revocavi.

7. *Prooemium Sallustii ad Bellum Catilinarium.*

Omnes homines, qui sese student praestare caeteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quae natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum commune cum belluis est. Quo mihi rectius esse videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere: et quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est: virtus clara, aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vi ne corporis an virtute animi res militaris magis procederet? nam et prius quam incipias, consulto: et ubi consulueris, mature facto opus

est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedemonii, et Athenienses, cepere urbes atque nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare: tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello, valeret, aequabilius atque constantius se res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate libido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti, incultique, vitam sicuti peregrinantes transiere: quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ergo vitam mortemque juxta aestimo: quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum, aliud alii natura iter ostendit. Pulcrum est benefacere Reipublicae, etiam bene dicere haud absurdum est. Vel pace, vel bello clarum fieri licet. Et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem, et actorem; rerum tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primum, quod factis dicta sunt exaequanda: dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant: ubi de magna virtute atque gloria

bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit. Supra ea, veluti ficta pro falsis ducit.

8. *Prooemium Sallustii ad Bellum Jugurthinum.*

Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecille, atque aevi brevis, sorte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque majus aliud, neque praestabilius invenias; magisque naturae industriam hominum, quam vim, aut tempus deesse. Sed dux, atque imperator vitae mortalium, animus est: qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens, potensque, et clarus est, neque fortuna eget; quippe quae probitatem, industriam, aliasque artes bonas neque dare, neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus, ad inertiam, et voluptates corporis pessumdatus est: perniciosa libidine paulisper usus; ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere; naturae infirmitas accusatur: suam quippe culpam actores ad negotia transferunt. Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena, ac nihil profutura multum etiam periculosa petunt; neque regerentur magis, quam regerent casus; et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est: ita res cunctae, studiaque omnia nostra, corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis, et alia omnia hujuscemodi brevi dilabuntur: at ingenii egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. Postremo, corporis et fortunae bonorum, uti initium, sic finis est; omniaque orta occidunt, et aucta senescunt. Animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit, atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque

socordia torpescere sinunt; cum praesertim tam multae, variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur. Verum ex his magistratus, et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minime mihi hac tempestate cupiunda videntur: quoniam neque virtuti honos datur; neque illi, quibus perfraudem jus fuit, tuti aut eo magis honesti sunt. Nam, vi quidem regere patriam, aut parentes, quamquam et possis, et delicta corrigas; tamen importunum est: cum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hostilia portendant. Frustra autem niti, neque aliud, se fatigando, nisi odium quaerere, extremae dementiae est: nisi forte quem inhonesta et peniciosa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari. Caeterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, inprimis magno usui est memoria rerum gestarum: cujus de virtute quia multi dixere, praetereundum puto; simul, ne per insolentiam quis existimet, memet studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant: certe, quibus maxima industria videtur, salutare plebem, et conviviis gratiam quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratum adeptus sum; et quales viri idem assequi nequiverint; et postea, quae genera hominum in senatum pervenerint: profecto existimabunt, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mei mutavisse; majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis, reipubl. venturum. Nam saepe audivi, Q. Maximum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere: cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra, quis est omnium his moribus, quia

divitiis, et sumptibus, non probitate, neque industria, cum majoribus suis contendat? etiam homines novi, qui antea pervirtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia et honores nituntur. Proinde quasi praetura, et consulatus, atque alia omnia hujuscemodi per se ipsa clara, et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius, altiusque processi, dum me civitatis morum piget, taedetque. Nunc ad inceptum redeo.

9. *Praefatio Livii ad Historiam.*

Facturusne operae pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim; nec satis scio: nec si sciam, dicere ausim. Quippe qui, cum veterem tum vulgatam esse rem videam, dum novi semper scriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Utcunque erit, juvabit tamen rerum gestarum memoriae, principis terrarum populi, pro virili parte et me ipsum consuluisse; et, si in tanta scriptorum turba, mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, meo qui nomini officient, me consoler. Res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur, et quae ab exiguis profecta initiis, eo creverit, ut jam magnitudine laboret sua. Et legentium plerisque, haud dubio, quin primae origines, proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec nova, quibus jampridem praevalentis populi vires seipsae conficiunt. Ego contra hoc quoque laboris praemium petam, uti me a conspectu malorum, quae nostra per annos vidit aetas (tantisper certe, dum prisca illa tota mente repeto) avertam; omnis expers curae, quae scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit.

Quae ante conditam condendamve urbem, poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet consecrare origines suas, et ad Deos referre autores; ea belli gloria est populo Romano, ut quum suum, conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat; tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo, quam imperium patiuntur. Sed haec et his similia, utcunque animadversa aut exestimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint; per quos viros, quibusque artibus, domi militiaeque, et partum et auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo; deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire ceperint praecipites; donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, capias: inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. Caeterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam serae avaritia luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit. Adeo, quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium, per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia, invexere. Sed querelae, ne tum quidem gratae futurae, quum forsitan et necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiundae rei absint. Cum bonis potius omnibus votisque ac precationibus Deorum Dearumque, si, ut

pöetis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tanti operis successus prosperos darent.

10. *Columellae Praefatio de agriculturae neglectu.*

Saepenumero Civitatis nostrae Principes audio culpantes modo agrorum infoecunditatem, modo coeli multa jam tempora noxiam frugibus intemperiem; quosdam etiam praedictas querimonias velut ratione certa mitigantes: quod existiment, ubertate nimia prioris aevi defatigatum, et effoetum solum nequire pristina beniguitate praebere mortalibus alimenta. Quas ego causas procul a veritate abesse certum habeo: quod neque fas existimare, humi naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua foecunditate donavit, quasi quodam morbo, sterilitate affectam; neque prudentis, credere, tellurem, quae divinam et aeternam juventam sortita, communis omnium parens dicta sit, quia et cuncta peperit semper, et deinceps paritura sit, velut hominem consenuisse. Nec post haec reor intemperantia coeli nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifici, noxae dedimus: quam majorum nostrorum optimus quisque optime tractaverit.

Atque ego satis mirari non possum, quid ita dicendi cupidi seligant oratorem, cujus imitentur eloquentiam mensurarum et numerorum modum rimantes, placitae disciplinae consectentur magistrum, vocis et cantus modulatorem; nec minus corporis, gesticulatorem scrupulosissime requirant saltationis, ac musicae rationis studiosi. Iamque qui aedificare velint, fabros, et architectos advocent: qui navigia mari concedere, gubernandi peritos: qui bella moliri, armorum, et militiae gnaros: et, ne singula persequar, ei studio, quod quis agere velit, consultissimum rectorem adhibeat: denique animi sibi quisque formatorem, praeceptoremque virtutis e caetu sapientum arcessat: sola res rustica, quae sine dubitatione proxima, et

quasi consanguinea sapientiae est, tam discentibus egeat. quam magistris. Adhuc enim scholas Rhetorum, et, ut dixi, Geometrarum, Musicorumque, vel quod magis mirandum est, contemptissimorum vitiorum officinas, gulosius condiendi cibos, et luxuriosius fercula struendi, capitumque, et capillorum concinnatores non solum esse audivi, sed et ipse vidi. Agricolationis neque doctores qui se profiterentur, neque discipulos cognovi.

Quo magis prodigii simile est, quod accidit, ut res corporibus nostris, vitaeque utilitati maxime conveniens minimam usque in hoc tempus consummationem haberet: idque sperneretur genus amplificandi, retinendique patrimonii, quod omni crimine caret.

Omnes (sicut M. Varro jam temporibus avorum conquestus est) patres familiae, falce et aratro relictis, intra murum correpsimus, et in circis potius, ac theatris, quam in segetibus, et vinetis manus movemus; quotidianas eruditates lucanicis excoquimus, noctes ebrietatibus, dies ludo vel somno consumimus; ac nosmetipsos ducimus fortunatos, quod nec orientem solem videmus, nec occidentem. Mehercule vera illa Romuli proles assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitata firmissimis valuit corporibus, ac militiam belli, cum res postulavit, facile sustinuit durata pacis laboribus; semperque rusticam plebem praeposuit urbanae. Quintius Cincinnatus obsessi consulis, et exercitus liberator ab aratro vocatus, ad dictaturam venit, ac rursus fascibus depositis (quos festinantius victor reddebat, quam sumpserat Imperator) ad eosdem juvencos, et jugerum avitum praediolum rediit. C. Frabricius, et Curius Dentatus alter Pyrrho Italiae finibus pulso, domitis alter Sabinis, accepta, quae viritim dividebantur, captivi agri septem jugera non minus industria coluit, quam fortiter armis quaesierat. Nundinarum etiam conventus manifestum est

propter ea usurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanae res agerentur, reliquis administrarentur rusticae.

Itaque in hoc Latio, et Saturnia terra, ubi Dii cultus agrorum progeniem suam docuerunt, ibi nunc ad hastam locamus, ut nobis ex transmarinis provinciis advehatur frumentum, ne fame laboremus, ut vindemias coudimus ex insulis Cycladibus, ac regionibus Baeticis, Gallicisque. Nec mirum: cum sit publice concepta, et confirmata jam vulgaris existimatio, rem rusticam sordidum opus esse, atque ejusmodi negotium, ut nullius egeat magisterio praeceptoris.

At ego aut magnitudinem totius rei, quasi quandam vastitatem corporis, aut patrium ejus, velut singulorum membrorum numerum recenseo; vereor, ne supremus ante me dies occupet, quam unisersam disciplinam ruris possim cognoscere. Nam qui se in hac scientia perfectum volet profiteri, sit oportet rerum naturae sagacissimus scrutator declinationum mundi non ignarus: ut exploratum habeat, quid cuique plagae conveniat, quid repugnet: siderum ortus et occasus memoria repetat, ne imbribus, ventisque imminentibus opera inchoet, laboremque frustretur. Coeli, et anni praesentes mores intueatur: neque enim semper eundem, velut ex praescripto, habitum gerunt; nec omnibus annis eodem vultu venit aestas, aut hiems; nec pluvium semper est ver, aut humidus autumnus. Iam ipsa terrae varietas, et cujusque soli habitus quid nobis neget, quid promittat, paucorum est discernere.

Contemplatio vero cunctarum in ea disciplina partium quando cuique contingit, ut et segetum, arationumque perciperet usum, et varias dissimillimas terrarum species pernosceret, quarum non nullae colore, non nullae qualitate fallunt: atque in aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant, in alia pinguis rubrica melius respondet: in quibusdam putres arenae foecunditate vel robustissimum solum vincunt: alibi densa, et glutinosa terra maxime exuberat; atque in his ipsis habere cognitum,

quid recuset collis, quid campestris positio, quid cultus, quid silvester ager, quid humidus, et graminosus, quid siccus, et spurcus, ratione quoque dispicere: et in arboribus, vinetisque, quorum infinita sunt genera, conserendis, ac tuendis et in pecoribus parandis, conservandisque: quoniam et hanc adscivimus, quasi agriculturae partem; cum separata sit ab agricolatione pastoralis scientia; nec ea tamen simplex: quippe aliud exigit equinum, aliud atque aliud bubulum armentum; aliud pecus ovillum, aliud caprinum, et id ipsum aliter curatur mutilum, et raripilum, aliter cornutum, et setosum; porculatoris vero, et sabulci diversa proffessio, diversae pastiones: nec eundem glabrae sues, densaeque coeli statum, nec eandem educationem, cultumve quaerunt: et ut a pecoribus recedam, quorum in parte avium cohortalium, et apium cura posita est, quis tanti studii fuit, ut praeter ista, quae enumeravimus, tot nosset species insitionum, tot putationum. tot pomorum, olerum que cultus exercere? tot generibus ficorum, sicut rosariis, impenderet curam, cum a plerisque etiam majora negligantur? quanquam et ista jam non minima vectigalia multis esse coeperunt. Nam prata et salicta, genistaeque et arundines quamvis tenuem, nihilominus aliquam desiderant industriam.

Post hanc tam multarum, tamque multiplicium rerum praedicationem non me praeterit, si, quem desideramus agricolam, quemque describimus, exegero a participibus agrestium operum, tardatum iri studia discentium, qui tam variae, tamque vastae scientiae desperatione conterriti nolent experiri, quod se assequi posse diffident. Verumtamen, quod in oratione jam M. Tullius rectissime dixit, par est eos, qui generi humano res utilissimas conquirere, et perpensas, exploratasque memoriae tradere concupiverint, cuncta tentare. Summum enim culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur.

An Latiae Musae non solos Adytis suis Accium, et Virgilium recepere, sed eorum et proximis, et procul a secundis sacras concessere sedes? Nec Brutum, aut Coelium, Pollionemve cum Messala et Catulo deterruere ab eloquentiae studio, fulmina illa Ciceronis. Nam neque ille ipse Cicero territus cesserat tonantibus Demostheni, Platonique. An ne minoris quidem famae opifices per tot jam secula videmus laborem suum destituisse, qui Protogenem, Apellemque cum Parrhasio mirati sunt? Nec pulchritudine Jovis Olympii, Minervaeque Phidiacae sequentis aetatis attonitos piguit experiri Lysippum, et Praxitelem, quid efficere, aut quousque progredi possent. Sed in omni genere scientiae, et summis admiratio, veneratioque, et inferioribus merita laus contingit.

Accedit huc, quod ille, quem nos perfectum esse volumus agricolam, si quidem artis consummatae non sit, nec in universa rerum natura sagacitatem Democriti fuerit consecutus, et in motibus astrorum, ventorumque Metonis providentiam, et in pecoris cultu doctrinam Chironis, ac Melampodis, et in agrorum, solique molitione Triptolemi, aut Aristei prudentiam: multum tamen profecerit, si usu Tremellios, et Stolones nostros aequaverit. Potest enim nec subtilissima, nec rursus, quod ajunt, pingui Minerva res agrestis administrari. Nam illud procul vero est, quod plerique crediderunt, facillimam esse, nec ullius acuminis rusticationem. De cujus universitate nihil attinet plura nunc dissevere: quando quidem cunctae partes ejus, destinatis aliquot voluminibus explicandae sunt, quas ordine suo nunc demum persequar.

IV.

CHARACTERES.

1. Caius Julius Caesar.

Cic. Philipp. 2.

Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literae, cura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamvis reipublicae calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare meditatus, magno labore, multis periculis, quod cogitaret, effecerat: muneribus, monumentis congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat: suos praemiis, adversarios clementiae specie devinxerat. Quid multa? attulerat iam libere civitati, partim metu, partim patientia, consvetudinem serviendi.

2. Lucius Catilina.

Sallustius de bello Catilinario.

L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi, et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis, grata fuere: ibi que inventutem suam exercuit. Corpus patiens, inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuique credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator, ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus; ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Sullae, libido maxima invaserat Reipublicae capiundae: neque, id quibus modis assequeretur, dum si regnum pararet,

quidquam pensi habebat. Agitabatur magis, magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris, et conscientia scelerum: quae utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessima ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

3. Marcus Cato Uticensis, Caius Julius Caesar.

Sallust. ibid.

Memoria mea, ingenti virtute, diversis moribus, fuere viri duo. M. Cato, et C. Caesar; quos, quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam, et mores, quantum ingenio possem, aperirem. Igitur his genus, aetas, eloquentia, prope aequalia fuere: magnitudo animi, par item gloria, sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur: integritate vitae, Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus: huic severitas dignitatem addiderat. Caesar, dando, sublevando, ignoscendo; Cato, nihil largiundo, gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium, in altero malis pernicies: illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare, quod dono dignum esset: sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxime severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo, virtute; cum modesto, pudore; cum innocente, abstinentia certabat. Esse, quam videri bonus malebat. Ita quo minus gloriam petebat, eo magis adsequebatur.

4. Marcus Furius Camillus.

Titus Livius L. VII. Cap. I.

Fuit enim vere vir unicus in omni fortuna: princeps pace bello que priusquam exulatum iret: clarior in exilio, vel desiderio civitatis, quae capta absentis imploravit opem, vel felicitate, qua restitutus in patriam, secum patriam ipsam restituit. Par deinde per quinque et XX annos (tot enim postea vixit) titulo tantae gloriae fuit: dignus que habitus, quem secundum a Romulo conditorem urbis Romanae ferrent.

5. Annibal.

Livius L. XXII. Cap. 4.

Missus Annibal in Hispaniam, primo statim adventu, omnem exercitum in se convertit. Amilcarem juvenem redditum sibi, veteres milites credere, eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamenta que intueri. Dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res devirsissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Itaque haud facile discerneres, utrum imperatori, an exercitui carior esset: neque Asdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset: neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat: nullo labore aut corpus fagitari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora. Id quod gerendis rebus superesset, quieti datum: ea neque molli strato, neque silentio arcessita.

Multi saepe militari sagulo opertum, humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens: arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat: princeps in proelium ibat, ultimus conferto praelio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deum metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Asdrubale imperatore meruit, nulla re, quae agenda audendaque magno futuro duci esset praetermissa.

6. Marcus Porcius Cato Major.

Livius' L. XXXIX. Cap. 40.

Patricios, plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatae, neque publicae rei gerendae, ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis: idem postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator: idem in pace, si jus consuleres, peritissimus: si causa oranda esset, eloquentissimus: nec is tantum, cujus lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: vivit imo vigetque eloquentia ejus, sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae, et pro aliis, et in alios: nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo, fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt cum,

et ipse exercuit eas: nec facile dixeris, utrum magis presserit, eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi, et linguae acerbae, et immodice liberae fuit: sed invicti a cupiditatibus animi, et rigidae innocentiae: contemtor gratiae, divitiarum: in parsimonia, in patientia laboris periculique, ferrei prope corporis animique: quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit: qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit, scripserit que, nonagesimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit iudicium.

7. Publius Scipio Aemilianus.

C. Velleius Paterculus. Hist. L. I.

Eodem tempore Publius Scipio Aemilianus, vir avitis Publii Africani, paternisque Lucilii Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli, ac togae dotibus, ingeniique, ac studiorum eminentissimus saeculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandum, aut fecit, aut dixit, ac sensit: quem, Paullo genitum, adoptatum a Scipione, Africani filio, diximus, aedilitatem petens consul creatus est.

8. Mithridates.

Velleius Libro II.

Mithridates, Ponticus Rex, vir, neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Annibal, occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die atque hora redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione praemiorum interimi iusserat.

9. Cn. Pompeius, et L. Lucullus.

Velleius Lib. II.

Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, formâ excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed dignitate, et constantia, quae in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoque eius ad ultimum vitae comitata est diem; innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius: potentiae, quae honoris caussa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello peritissimus: civis in toga (nisi ubi vereretur, ne quam haberet parem) modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus; potentia sua nunquam, aut raro ad impotentiam usus; paene omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium, indignari, cum omnes cives iure haberet pares, quemquam aequalem dignitate conspicere. Hic a toga virili assuetus commilitio prudentissimi ducis parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium, singulari rerum militarium prudentia excoluit; ut a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius.

Idem Vellejus.

Manilius Tribunus plebis semper venalis, et alienae minister potentiae legem tulit, ut bellum Mithridaticum per Cnaeum Pompeium administraretur. Accepta ea, magnisque certatum inter imperatores iurgiis, cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniae, Lucullus Pompejo interminatam cupiditatem objiceret imperii, neuter que ab eo, quo arguebatur, mentitus argui posset. Nam neque Pompeius, ut primum ad rem publicam aggressus est, quemquam animo parem tulit: et in qui-

bus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat: neque eo viro quisquam, aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit: in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos, ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo: et quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret. Et Lucullus, summus alioquin vir, profusae huius in aedificiis convictibusque, et apparatibus luxuriae primus autor fuit: quem ob iniectas moles mari et receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompeius Xerxem togatum vocare assuevérat.

10. Marcus Cato Uticensis.

Velleius L. II.

Ille senatus dies, quo haec acta sunt, virtutem Marci Catonis, iam multis in rebus conspicuam, atque praenitentem, altissime illuminavit. Hic, genitus proavo Marco Catone, principe illo familiae Porciae, homo virtuti simillimus, et per omnia ingenio diis, quam hominibus, propior, qui nunquam recte fecit, ut facere videretur; sed quia aliter facere non poterat: cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam, omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit. Hic, Tribunus plebis disignatus, et adhuc admodum adolescens, cum alii suaderent, ut per municipia Lentulus coniuratique custodirentur paene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in coniurationem, ut ardore oris orationem omnium, lenitatem, suadentium societate concilii, suspectam fecerit: sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis, et commutatione status publici pericula exposuit, ita Consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in eius sententiam transiret, animad-

vertendumque in eos, quos praediximus, censeret: majorque pars ordinis eius Catonem prosequerentur domum.

II. Marcus Tullius Cicero.

Velleius Lib. II.

Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est; aut ab illo Cicero proscriptus est, abscissaque scelere Antonii vox publica est, cum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis, et privatam civium defenderat. Nihil autem egisti, Marce Antoni: (cogit enim excedere propositi formam operis erumpens animo ac pectore indignatio) nihil, inquam, egisti, mercidem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscissi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reipublicae tantique consulis irritando necem. Rapuisti tu Marco Ciceroni lucem sollicitam, et aetatem senilem, et vitam miseriorem te Principe, quam sub te Triumviro mortem: famam vero, gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vevit, vivetque per omnium saeculorum memoriam.

12. Caius Cassius, et Marcus Brutus.

Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus: e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium. In altero major vis, in altero virtus. Qui si vicissent, quantum reipublicae interfuit, Caesarem potius habere, quam Antonium principem; tantum retulisset habere Brutum, quam Cassium.

13. Fortitudo Miltiadis.

Ex Corn. Nepot.

Darius, cum ex Europa in Asiam redisset, hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique Datim praefecit, et Artaphernem; hisque ducenta peditum millia, et decem equitum dedit: causam interserens, se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardeis expugnassent, suaque praesidia interfecissent. Illi praefecti regii, classe ad Euboeam appulsa, celeriter Eretriam ceperunt, omnesque eius gentis cives abreptos in Asiam ad Regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo, tamque magno permoti, auxilium nusquam, nisi a Lacedaemoniis, petiverunt: Philippidemque cursorem eius generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creati decem praetores, qui exercitui praecessent, in eis Miltiades. Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque decernerent. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari: et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare.

Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit praeter Plataeenses, ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. quo factum est, ut plus, quam collegae, Miltiades valuerit; ejus enim auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo castra

fecerunt. Deinde postero die sub montis radicibus, acie e regione instructa, nova arte, vi summa praelium commiserunt. Namque arbores multis locis erant stratae, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non locum aequum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat: eoque magis, quod priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare, utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, praeliumque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent; adeoque perterruerunt, ut Persae non castra, sed naves peterent. Qua pugna nihil adhuc est nobilius, nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

Cujus victoriae non alienum videtur, quale praemium Miltiadi sit tributum, docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. Ut populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi; nunc autem effusi atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas, totamque Graeciam liberavit, talis honos tributus est in porticu, quae Poecile vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia: ut in decem praetorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, proeliumque committeret. Idem ille populus, posteaquam majus imperium est nactus, et largitione Magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.

14. Aequitas Aristidis.

Interfuit autem pugnae navali apud Salaminа, quae facta est prius, quam poena liberaretur. Idem praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in praelio, quo Mardonius fusus, bar-

barorumque exercitus est interfectus. Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, quam hujus imperii memoria. Justitiae vero et aequitatis, et innocentiae multa. Inprimis quod ejus aequitate factum est, cum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses: namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii. Tum autem et intemperantia Pausaniae, et justitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent, et adversus barbaros hos duces deligerent sibi, quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur.

Ad classes aedificandas, exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret. Ejus arbitrio quadringenta et sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata, id enim commune aerarium esse voluerunt; quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quam quod, cum tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit, ut qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, ut filiae ejus publice alerentur, et de communi aerario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus.

15. Liberalitas Cimonis.

Hunc Athenienses non solum in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate, cum compluribus locis praedia, hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus vellet, frueretur. Semper cum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare.

Saepe, cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic coena coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem praetermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. multos locupletavit: complures pauperos mortuos, qui unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura, et mors acerba.

16. Alcibiadis fata.

His cum obviam universa civitas in Pyraeeum descendisset, tanta fuit omnium expectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus confluerel, perinde ac si solus advenisset. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores, et praesentes secundas res accidisse ejus opera. Itaque et Siciliae amissum, et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terra, neque mari hostes pares esse potuerant. Hic ut navi egressus est, quanquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant, simulque venerant in Peraeeum, tamen illum unum omnes prosequebantur, et id quod nunquam ante usu venerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque vulgo donabatur. ille lacrimans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postquam Asty venit, concione advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrimarit, inimicumque se his ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat, perinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegii damnasset. Restituta sunt ergo huic publice bona, iidemque illi Eumolpidae sacerdotes rursus

resacrare sunt coacti, qui eum deuoverant: pilaeque illae, in quibus devotio fuerat scripta, in mare praecipitatae.

Haec Alcibiadi laetitia minus fuit diuturna. nam cum ei essent omnes honores decreti, totaque respublica domi bellique tradita, ut unius arbitrio gereretur; et ipse postulasset, ut duo sibi collegae darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id negatum esset: classe in Asiam profectus, quod apud Cymen minus ex sententiâ rem gesserat, in invidiam recidit. nihil enim eum non efficere posse ducebant, ex quo fiebat, ut omnia minus prospere gesta ejus culpae tribuerent, cum eum aut negligenter, aut malitiose fecisse loquerentur. sicut tum accidit. nam corruptum a rege capere Cymen noluisse, arguebant. Itaque huic maxime putamus malo fuisse, nimiam opinionem ingenii atque virtutis; timebatur enim non minus, quam diligebatur, ne secunda fortuna, magnisque opibus elatus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent, et alium in ejus locum substituerent.

17. Moderatio animi in Thrasybulo.

Huic pro tantis meritis, honoris corona a populo data est, facta duabus virgulis oleaginis: quae, quod amor civium non vis expresserat, nullam habuit invidiam: magnaque fuit gloria. Bene ergo Pittacus ille, qui septem Sapientum numero est habitus, cum ei Mitylaenei multa millia jugerum agri muneri darent, Nolite, rogo vos, inquit, mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. quare ex istis nolo amplius, quam centum jugera, quae et meam animi aequitatem, et vestram voluntatem indicent. Nam parva munera, diutina: locupletia, non propria esse consueverunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisivit, neque quenquam honore se antecessisse existimavit.

18. Virtutes Agesilai.

Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se nunquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperarunt: cum interim Agesilaus non destitit, quibuscunque rebus posset patriam juvare. nam cum praecipue Lacedaemonii indigerent pecunia: ille omnibus, qui a Rege defecerant, praesidio fuit, a quibus magna donatus pecunia, patriam sublevavit. Atque in hoc illud in primis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab Regibus et Dynastis, civitatibusque conferrentur, nihil unquam domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor majorum suorum, fuerat usus: quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat: contra, plurima patientiae atque abstinentiae. Sic enim erat instructa, ut nulla in re differret a cujusvis inopis atque privati.

Atque hic tantus vir, ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo; nam et statura fuit humili, et corpore exiguo, et claudus altero pede. Quae res etiam nonnullam adferebat deformitatem: atque ignoti faciem ejus cum intuerentur, contemnebant: qui autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. Quod ei usu venit, cum annorum octoginta subsidio Thaco in Aegyptum ivisset, et in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto: stratumque haberet talc, ut terra tecta esset stramentis: neque huc amplius, quam pellis esset injecta, eodemque comites omnes accubuissent, vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his Regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem praeberet. Hujus de adventu fama cum ad regios esset perlata, celeriter munera eo cujusque generis sunt allata. His quaerentibus Age-

silaum, vix fidos facta est, unum esse ex his, qui tum accubabant. Qui cum Regis verbis, quae attulerant, dedissent, illo praeter vitulina, et hujusmodi genera obsonii, quae praesens tempus desiderabat, nihil accepit; ungenta, coronas, secundamque mensam servis dispertiit: cetera referri jussit. Quo facto eum barbari magis etiam contemserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumsisse arbitrabantur. Hic cum ex Aegypto reverteretur; donatus a rege Nectanebe ducentis viginti talentis, quae ille muneri populo suo daret: venissetque in portum, qui Menelai vocatur, jacens inter Cyrenas et Aegyptum: in morbum implicitus decessit. ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt: atque ita domum retulerunt.

19. Phocionis Integritas.

Phocion Atheniensis etsi saepe exercitibus praefuit, summosque magistratus cepit, tamen multo ejus notior integritas est vitae, quam rei militaris labor. Itaque hujus memoria est nulla, illius autem magna fama: ex quo cognomine Bonus est appellatus. Fuit enim perpetuo pauper, cum ditissimus esse posset, propter frequentes delatos honores potestates que summas, quae ei a populo dabantur. Hic cum a Rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam: his ille: si mei simiiles erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.

20. Virtutes Timoleontis.

Hic cum aetate iam provectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit. Quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque cum querentem quisquam audierit, neque eo minus privatis publicisque rebus interfuerit. veniebat autem in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis junctis, atque ita de vehiculo, quae videbantur, dicebat: neque hoc illi quisquam tribuebat superbiae nihil enim unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore eius exiit: qui quidem, cum suas laudes audiret praedicari, nunquam aliud dixit, quam se in ea re maximas diis gratias agere atque habere, quod cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent. nihil enim rerum humanarum sine deorum numine agi putabat. Itaque suae domo sacellum αὐτομαΐας constituerat, idque sanctissime colebat.

Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam praelia maxima natali die suo fecit omnia: quo factum est, ut eiusdem natalem festum haberet universa Sicilia. Huic quidam Lamestius homo petulans et ingratus vadimonium cum vellet imponere, quod cum illo se lege agere diceret, et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur: Timoleon oravit omnes, ne id facerent. namque id ut Lamestio ceterisque liceret, se maximos labores summaque adiisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret. Idem cum quidam Lamestii similis. nomine Demaenetus in concione populi, de rebus gestis ejus detrahere coepisset, ac nonnulla invehereturin Timoleonta: dixit, nunc demum se voti esse damnatum; namque haec a diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restituerent Syracusanis,

in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere. Hic cum diem supremum obiisset publice a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur, tota celebrante Sicilia, sepultus est.

21. Attici virtutes domesticae.

Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarant. Quidquid rogabatur, religiose promittebat: quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri quod praestare non posset. Idem in nitendo quod semel annuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertaesum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia M. et Q. Ciceronum, Catonis, Q. Hortensii, Auli Torquati, multorum praeterea equitum Rom. negotia procuraret. Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio fugisse reipublicae procurationem.

Humanitatis vero nullum adferre majus testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto: cum aequalibus autem suis, Q. Hortensio, et M. Cicerone, sic vixerit, ut judicari difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus. quanquam eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit ac familiarior. Ei rei sunt indicio, praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus jam sunt editi sexdecim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quae qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicae perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, et faci-

le existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit: sed etiam quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates.

De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc pisum vere gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum nonaginta, cum esset septem et sexaginta, se nunquam cum matre in gratiam redisse, nunquam eum sorore fuisse in simultate, quam prope aequalem habebat. Quod est signum, aut nullam unquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. neque id fecit natura solum, quanquam omnes ei paremus, sed etiam doctrina. nam et principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur.

Затмение

1790го Года Месяца Декабря 5го числа
въ 6мъ часу предъ вечеромъ было [illegible]-
[illegible] явление въ видѣ [illegible] і прочая
въ солнечныи [illegible] тому и скоро
[illegible] отступила б; хотя впрочемъ было
[illegible] хмарно.



Deacidified using the Bookkeeper proces
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: July 2006

PreservationTechnologie
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATIO
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 040 802 0